

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,  
Quinctum fratrem

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm X Pavlli  
Manvtii Commentariis

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)





IN EPISTOLARVM  
M. TVLLII. CICERONIS

A D

T. POMPONIVM. ATTICVM

LIBRVM. X.

PAVLLI. MANVTII  
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



**P**ERTIO non, cum in Late-  
rium fratris uenissem, acce-  
pi litteras, & paulum respi-  
raui: quod post has ruinas  
mibi non acciderat, per enim  
magnum aestimo, tibi firmitudi-  
nem animi nostri & factum  
nostrum probari. Sexto, n.

nostro quod scribis probari, in laetor, ut me quasi pa-  
tris eius, cui semper uni tribui plurimum, iudicio com-  
probari putem: qui mihi, quod saepe soleo recordari,  
dixit olim, nonis illis Decembribus, cum ego, Sexte,  
quidnam ergo?

Μη μὲν, inquit ille, ἀποὺδ εἶγε ἡ ἀχελειὸς ἀπολοῦμαι,  
Ἄλλα μέγα πέρας τί, καὶ ἐσομένοισι τοῖσθα.

eius igitur mihi uixit auctoritas; & simillimus eius fi-  
lius eodem est apud me pondere, quo fuit ille: quem sal-  
uere uelim iubeas plurimum. Tu tuum consilium etsi  
non in longum tempus differs, (iam enim illum emptum  
pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in  
confessu senatorum) tamen suspensum me detines, sed  
eo minus, quod non dubito, quid nobis agendum putes,  
quid enim Flauio legionem, & Siciliam dari scribis,  
& id iam fieri? quae tu scelera partim parari, et iam  
cogitari, partim ex tempore futura censes? ego uero So-  
lonis, popularis tui, & ut puto, etiam mei, legem negli-  
gam, qui capite sanxit, si qui in seditione non aleruntius  
partis fuisset, nisi tu aliter censes. & hinc abero, & fi-  
lii, sed alterum mihi est certius: nec praeripiam tamen;

exspectabo tuum consilium, & eas litteras, nisi alias  
iam dedisti, quas, scripsi, ut Cephalioni dares. Quod scri-  
bis, non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare, me  
attractum iri, si de pace agatur: mihi omnino non uenit  
in mentem, quae possit actio esse de pace, cum illi cer-  
tissimum sit, si possit, exspoliare exercitum, & prouincia  
Pompeium, nisi forte iste summaris ei potest esse persua-  
dere, ut, dum oratores eant, & redeant, quiescat, nihil  
uideo, quod sperem, aut quod iam putem fieri posse, sed  
tamen hominis hoc ipsum prohi est, & magnam ἡ πό-  
λιτι κοτάτων σκευήτων, ueniendum ne sit in consilium  
tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. qua-  
re, si quid eius modi euenerit, ut accersamur: (quod e-  
quidem non curo: quid enim essem de pace dicturus, di-  
xi, ipse ualde repudiavit) sed tamen, si quid acciderit,  
quid censeas mihi faciendum, utique scribito, nihil enim  
mihi adhuc accidit, quod maioris consilij esset. Treba-  
tij, boni uiri, & ciuis, uerbis te gaudeo delectatum: tuaq;  
ista crebra ἐκφώνοις, ΠΙΠΕΙ me sola adhuc de-  
lectauit. Litteras tuas uehementer exspecto, quas qui-  
dem credo iam datas esse. Tu cum Sexto seruasti graui-  
tatem eandem, quam mihi praecipis. Celer tuus disor-  
tus magis est, quam sapiens. De iuuenibus, quae ex Tul-  
lia audisti, uera sunt. M. Antonij istud, quod scribis, non  
mihi uidetur tam re esse triste, quam uerbo. haec ἔ-  
στιν, in qua nunc sumus, mortis instar, aut enim mihi li-  
bere inter malos πολιτῶν fuit, aut uel periculose  
cum bonis: aut nos temeritatem bonorum sequamur:  
aut audaciam improborum insecutemur, utrumque pe-  
riculosum



riculo sum est. at hoc, quod agimus, & turpe, nec tamen tutum. Istum, qui filium Brundisium de pace misit, (de pace idem sentio, quod tu; simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime) lega-

tum iri non arbitror; cuius adhuc, ut optavi, mentio facta nulla sit. eo minus habeo necesse scribere, aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, ut legarer. Vale.

EXPLANATIO



**A**TERIVM § fundum in Arpinati. ep. 7. lib. 4. **FIRMIVDINEM** animi nostri quod ab honesto non diuellat: id est, quod in Caesaris congressu neque indulgenter sim locutus; & in eo manserim, ne ad urbem accederem. ep. 16. & 18. l. 9. **SEXTO** § Peducaeo. **NONIS** Dec. § quo die in coniuratos animaduerti. **QVIDNAM** ergo? § senatus mandauit, ut de coniuratis supplicium sumerem. mandata si exsequar, uideo mihi ab improbis ciuibus magnam inuidiam, magnaq. pericula impendere; quod a me contra leges actum obijcient, quae ciues Romanos occidi uetant. quid ergo faciam

o Sexte? tum ille me ad praeclearum facinus Homericis uersibus incitauit. Iliadis γ. **SIMILLIMVS** eius filius § ergo doctrina, probitate, iustitia praeditus. haec enim patri Peducaeo tribuit Cicero lib. 2. de Fin. his uerbis: Sex. Peducaeus, is, qui hunc nostrum reliquit, effigiem & humanitatis, & probitatis suae filium, tum doctus, tum omnium uir optimus, & iustissimus. **NON** in longum tempus. § tantum ut expectemus, quid de pace decernatur in consessu senatorum. nam, in senatu, non libet dicere. Bessarionis liber habet, Longum cum tempus: ut fortasse Cicero scripserit, Longinquum tempus. **EMPTVM** § pretio a Caesare indutum, ut de pace ageret in senatu: cuius nomen fuit in Attici epistola. **QVID** nobis agendum putes § putas enim discedendum ex Italia. **DARI** § a Caesare, quasi a rege. **POPVLARIS** tui § quia tu quoque Atticus. **MEI** § quia migrare Athenas cogito. **HINC** habero § cum filijs abibo ex Italia. **ALTERVM** § me abfuturum hinc: de filijs minus certum. **CEPHALIONI** § & hic, & supra ueteres libri habent, Cephaloni, mihi tamen nihil placuit mutare: primum, quia Bessarionis liber & hic & supra habet, Cephaloni, infra tamen Cephalonem semper: deinde, quia in Plauti uersu, quem recitat Priscianus, ita Cephalionis mentio fit, ut Cephalonem metri ratio non ferat. est enim sic:

O amice multis, at mihi tunc Cephalio.

**Si de pace** § sic Bessarionis liber antiquus: & sententia non obscura: itaque nihil muto. **PROVIN-** **CIA** § Hispania, ep. 2. lib. 9. **ISTE** summarinus. § emptus pacificator. mallet enim, Nummarius. ut Nummarij iudices, pretio corrupti, ep. 14. lib. 1. & placet *επιρωνικῶς* dictum esse, Nisi forte: quia scit Caesari persuaderi non posse, ut quiescat. **DIXI** § ipsi Caesari. ep. 1. lib. 9. **Εκδώντης ὑπερῶ** § pronuncia tio perquam optime. Hoc uno delectatus adhuc sum, quod tu de publicis rebus egregie pronancias. Quamquam, cum alij libri ueteres habeant, ὑπερῶ, alij τέρπει, quorum unus est apud me, in quo τέρπει non obscuris litteris legitur: suspicor interdum, cum Cicero τέρπει scripserit, glossema in margine libri additum fuisse, Delectat: quod postea cum in ordinem uerborum receptum esset, mutatum esse τέρπει, cum duobus uerbis idem significantibus locus non esse uideretur, in aliud Graecum uerbum, ut coniectura tulit. Delectauit autem fortasse magis placuit, quam Delectat, propter aduerbium. Adhuc: quasi praeterito potius temporis seruire, quam praesenti: cum tamen pariter utriusque seruiat. **GRAVITA-** **TEM** § in congressu Caesaris. **DE** iuuenibus § de Ciceronibus. **AVDISTI** § forte, nolle me eos erudiri a Dionysio. epist. 2. **HAEC** est *ἀλη*, § haec animi mei sollicitudo, & mentis error, in quo nunc sum, mortis instar est angor enim, quod neq. ad urbem uenerim, ut inter Caesarianos de rep. libere agerem; neque bonos uel cum periculo sum secutus. alterutrum certe oportuit. aut enim bonos se, qui debemus; quorum de Italia relinquenda temerarium consilium fuit: aut, si Italiam relinquere non placet, neque temeritatem bonorum imitari; agamus hic libere, quae sentimus, & pro rep. & contra improborum audaciam. Hoc, quod agimus § mansio haec nostra in Italia, neque honesta, neque tuta. **ISTVM**, &c. § forte L. Cornelium Balbum, qui filium Brundisium miserat. **ME** § non me, sed istum legatum iri arbitror. **Si acciderit, ut legarer** § & consuetudo Latini sermonis postulat, Ut leger; & ego eo procliuus in hanc opinionem descendendo, quod antiqui libri, Ut legeret, habent.

Cicero S. D. Attico. 2.

**E**GO cum accepissem tuas litteras nonis Apr. quas Cephalo attulerat, essemq. Minturnis postridie mansurus, & inde protinus; suscinui me in Arcano fratris, ut dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, agerenturq. nihilo minus, quae sine nobis agi possint. **MMTEYCA** iam adest, & animus ardet: nec est quidquam, quo, & qua, sed haec nostra erit cura, & peritorum. tu tamen, quod poteris, ut adhuc

fecisti, nos consilijs iuuabis. res sunt inexplicabiles. fortunae sunt committenda omnia. sine spe conamur ulla. melius si quid acciderit, m rabimur. Dionysium nolim ad me profectum: de quo ad me Tullia mea scripsit: sed & tempus alienum est; & homini non amico nostra incommoda, tanta praesertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo. Vale.

F f EXPLA.



## EXPLANATIO

**A**GERENTVRQVE ꝛ pararentur a meis ad nauigationem. MMTEYCA ꝛ corrupta dictio, sed, ut opinor, ad nauigationem pertinens. uidetur enim dicere: nauigandi appropinquat occasio. ARDET ꝛ abeundi cupiditate. NEC est quidquam ꝛ nec uideamus, aut quae loca petamus, aut qua uia. TVLLIA mea scripsit ꝛ opinor eum mihi commendans, & superiora excusans, aut, Scripsit, ad me profecturum, sed ego nolim ad me profectum, quia neque hoc tempore eo mihi comite opus est, & homini non amico nostra incommoda spectaculo esse nollem. ep. 5. & 10. lib. 8. & 10. & 14. lib. 9. & 2. lib. 10. INIMICVM ꝛ se ꝛ quod scribis te facturum, si ego uelim,

Cicero S. D. Attico. 3.

**C**VM, quid scriberem, plane nihil haberem; hanc autem reliqua essent, quae scire cuperem, profectus ne esset, quo in statu urbem reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni, aut negotio, praefecisset, et qui essent ad Pompeium, & ad consules ex S. C. de pace legati: ut igitur haec scirem, dedita opera has ad te litteras misi. feceris igitur commode, mihi gratum, si me de his rebus, & si quid erit aliud, quod scire opus sit, feceris certior. ego in Arcano opperor, dum ista cognosco. Ad VII. id. alteram tibi eodem die hanc epistolam dictaui, & pridie dederam mea manu longiorem.

Visum te aiunt in Regia: nec reprehendo: quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim. sed exspectaui tuas litteras. neque iam sane uideo, quod exspectem: sed tamen, etiam si nihil erit, id ipsum ad me uelim scribas. Caesar mihi ignoscit per litteras, quod non uenerim; se seq. in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quod scribit, secum Tullum, et Seruium quos esse, quia non idem sibi, quod mihi, remisisset. homines ridiculos, qui, cum filios misissent ad Cn. Pompeium circumsidendum, ipsi in senatum uenire dubitarent, sed tamen exemplum misi ad te Caesaris litterarum. Vale.

## EXPLANATIO

**P**ROFECTVS ꝛ Caesar, ut in Hispanias iret contra Pompeij legatos, Afranium, & Petreium, & Varro nem. LONGIOREM ꝛ quae est huius libri prima. VISVM te ꝛ puto esse epistolae initium. IN REGIA: ꝛ publicum aedificium, in quo sacra fiebant ex antiquo Numae regis instituto. Festus 226. 286. Sex. Rufus, P. Victor, pro Milone. NON UENERIM ꝛ in senatum. TVLLIVM ꝛ Volcatium Tullum. SERUIVM ꝛ Sulpicium. QVIA non idem ꝛ quia non ijs concessisset, quod mihi, ut in senatum non uenirent. ep. lib. 4. fam. CVM filios misissent ꝛ Seruium designat, non utrumque, non enim Volcatius contra Pompeium filium miserat. ep. 17. & 18. lib. 9.

Cicero S. D. Attico. 4.

**M**VLTA a te accepi epistolas eodem die, omnes diligenter scriptas, eam uero, quae uoluminis instar erat, saepe legendam, sicuti facio: in qua non frustra laborem suscepi: mihi quidem pergratum fecisti. quare, ut id, quoad licebit, id est, quoad scies ubi sumus, quam saepissime facias, te uehementer rogo. at deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quaedam, quod profecto potest. non enim, quam dignitatem, quos honores, quem uitae statum amiserim, cogito, sed quid consecutus sim, quid praefecerim, quae in laude uixerim, his denique in malis quid intersit inter me, & istos, quos propter omnia amisimus. hi sunt, qui, nisi me ciuitate expulissent, obtinere se non posse putarunt. l. centiam cupiditatum suarum: quorum societas, & sceleratae consensionis fides quo cruperit, uides. alter ardet furore, & scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingrauescit: modo Italia expulit: nunc alia ex parte persequi, ex alia prouincia spoliare conatur: nec iam recusat, sed quodam modo postulat, ut, quem admodum est, sic etiam ap-

pellatur tyrannus. alter, is, qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne subleuabat quidem, qui se nihil contra animi uoluntatem aiebat facere posse, elapsus e soceris manibus, ac ferro, bellum terra, & mari comparat, non iniustum ille quidem, sed tum pius, tum etiam necessarium, suis tamen ciuibus exitiabile, nisi uicerit, calamitosum etiam, si uicerit. horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriora constituti uidemur, quis enim potest, aut deserta per se patria, aut oppressa, beatus esse? & si, ut nos a te adiuuamur, recte in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe sit: certe uterque istorum est miserimus; quorum, utriusque semper patriae salus, & dignitas posterior sua dominatione, & domesticis commodis fuit. Praeclara igitur conscientia sustentor, cum cogito modo de rep. aut meruisse optime, cum potuerim, aut certe nunquam, nisi diuine, cogitasse, eaq. ipsa tempestate euersam esse remp. quam ego XI. annis ante prospexerim. hac igitur conscientia



ita comite proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, quorum iam acta aetas, quam propter pueros, quibus interdum uideatur praestare etiam remp. debuisse: quorum quidem alter, non tam, quia maiore pietate est, me mirabiliter ex cruciat; alter, (o rem miseram; nihil enim mihi accidit in omni uita acerbius) indulgentia uidelicet nostra deprauatus, eo progressus est, quo non audeo dicere: & respecto tuas litteras. scripsisti enim; te scripturam esse plurimam, cum ipsum uideres. omne meum obsequium in illum fuit cum multa seueritate: neque unum eius, nec paruum, sed multa magna delicta compressi. patris autem lenitas amanda potius ab illo, quam tam crudeliter negligenda. nam litteras eius ad Caesarem misisset grauius tulimus, ut te quidem celaremus; sed ipsius uidemus uitam insuauem reddidisse. hoc uero eius iter, simulatioque pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. tantum scio, post Hirvium conuentum, accersitum ab Caesare: cum eo de meo animo ab suis rationibus alienissimo, & consilio relinquendi Italiam. haec ipsa timide. sed nulla nostraculpa est: natura metuenda est. haec Curionem, haec Hortensij filium, non patrum culpa, corripit iacet in maerore mors frater, neque tam de sua uita, quam de mea metuit. huic tu, huic tu malo affer consolaciones, si ullis potes: maxime quidem illam uelim, eam, quae ad nos delata sint, aut falsa esse, aut mirora. quae si uera sint, quid futurum sit in hac fuga, nescio: nam si haberemus reimp. consilium mihi non desset nec ad seueritatem, nec ad indulgentiam. Haec, siue iracundia, siue dolore, siue metu permotus, grauius scripsi, quam aut tuus in illum amor, aut meus postulabat. si uera sunt ignoscas: si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem. quoquo modo uero se res habeat, nihil assignabis nec paruo, nec patri. Cum haec scripsissem, a Curione mihi nunciatum est, eum ad me uenire. uenerat enim is in Cumapion uesperis pridie, id est idibus. si quid eius igitur sermo eius modi atulerit, quod ad te scribendum sit; id in litteris adiungam. Praeterijt uillam meam Curio, iussitque mihi nunciari, mox se uenturum: cucurritque, ut ibi concionaretur. concionatus est: redijt: fuit ad me sane diu, o rem foedam nostri hominem: nihil occultauit, in primis nihil esse certius, quam ut omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur; itaque se in Sicilia eorum opera usurum, de Hispanijs, non dubitabat, quin Caesaris essent: inde ipsum cum exercitu, ubi eumque Pompeius esset: eius interitu finem fore: propius factum esse nihil, eum plane, in acundia elatum, uoluisse occidi Metellum tribunum pl. quod si esset factum, caedem magnam futuram esse: permultos hortatores esse caedis: ipsum autem non uoluntate, aut natura non

esse crudelem, sed quod putaret, popularem esse clementiam: quod si populi studium amisisset, crudelem fore eumque perturbatum, quod intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de aerario: itaque ei cum certissimo fuisset, ante, quam proficisceretur, concionem habere ausum non esse, uebementerque animo perturbato profectum. Cum autem ex eo quaerirem, quid uideret, quod exemplum, quam remp. plane fatebatur nullam spem reliquam: Pompeij classem timebat: quae si esset, se de Sicilia abiturum. Quid isti, inquam, sex tui fasces? si ab senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupiui, inquit, ex S. C. surrepto: nam aliter non poterat. at ille impendio nunc magis odit senatum: a me, inquit, omnia proficiscuntur. sex autem, quia duodecim nolui: nam licebat. Tum ego, quam uellem, inquam, petisse ab eo, quod audio Philippum impetrasse: sed ueritas sum, quia ille a me nihil impetrabat. Libenter, inquit, tibi concessisset. uerum putat te impetrasse. ego enim ad eum scribam, ut tu ipse uoles, de ea re nos inter nos locutos. quid autem illius interest, quoniam in senatum non uenis, ubi sis? quin nunc ipsum minime offendisses, eius causa si in Italia non fuisset. Atque ego, me recessum, & solitudinem quaerere, maxime quodam liberos habere, laudabat consilium. Quid ergo inquam? nam mihi cur sus in Graeciam per tuam prouinciam est? quoniam ad mare superum milites sunt. Quid mihi, inquit, optatus? hoc loco multa per liberaliter. ergo hoc quidem est uerum profectum. Ego, ut non modo tuto, uerum etiam palam nauigaremus. Reliqua in posterum diem distulit: ex quibus scribam ad te, si quid erit epistola dignum. Sunt autem, quae praeterij, inter regnum ne esset expectaturus, an, quo modo dixerim? Ad se ille quidem deferri consulatum, sed senolle, in proximum annum. Et alia sunt, quae exquirat. Iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret, amicissimum mihi Caesarem esse debet. quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? dico, quid? affirmabat, cum scripsisset, quod me cuperet ad urbem uenire, illi quidem gratias agere maximas, & non modo probare, sed etiam gaudere. quid quaeris? atque uidebat. est enim suspicio illa domestici mali, & sermonis Hirviani. quae cupio illi dignum esse nobis, & quae ipse me inuito, quae pro illo sit suspicandum. sed opus fuit Hirvii conuento. est profecto nescio quid. sed uelim quamminimo. & tamen eum non dum redisse miramur. sed haec uidebimus. Tu Oppios Terentiae dabis iam enim urbis unum periculum est. Me tamen consilio iuua, pedibus ne Rhegiu, an hinc statim in nauem. ceterum, quoniam commoror, ego ad te statim habebo, quod scribam, simul ut uidero Curionem. De Tirone cura, quaeso, quod facis, ut scia, quid is agat.

## EXPLANATIO

ISTOS 3 Pompeium, & Caesarem. ALTERARAE 3 Caesar. EXPVLI 3 Pompeium. ALIA ex parte 3 conatur & in Graeciam persequi, & ei prouinciam Hispaniam eripere. AB PEDES STRATOS 3 suppliciter rogantes, ut nos contra sceleratam tribuni pl. rogationem defenderet. HVIVS 3 Caesaris: cui dicebat se iniuriam esse facturum, si contra Clodium ageret, lib. 3. ep. 15. minus liberale uocauit responsum Pompeij. ELAPSVS 3 quia classe fugit. DESERTA per se patria, aut oppressa 3 deseruit Pompeius, oppressit Caesar. ADMONEMVR, 3 laudabat igitur Atticus profectionem Ciceronis ad Pompeium, cum diceret, ei praestanda esse illa, quae scripserat in libris de rep. nimirum haec, nihil est bonum, nisi quod honestum; nihil omnino malum, nisi quod turpe. ILLIS LIBRIS 3 de rep. ep. 15. lib. 4. ep. 1. & 2. lib. 6. epist. 3. lib. 7. epist. 1. lib. 8. epist. 3. lib. 10. xiv. annis ante 3 cum ipse consul esset. uidit enim con-



furatis fauere multos nobiles, & in ijs Caesarem ipsum. **PROFICISCAR**, & ad Pompeium. **ALTER** & filius. **MAIORE pietate** & nam Quintus filius & patri, & patruo inimicus: ut paullo post. **EIVS** & Quinti filij. **IPSIUS** & ipsum Quintum uidemus nunc eorum litterarum paenitere, quas ad Caesarem scripsit. **ITER** & ad Caesarem. **SIMVLATIOQ. pietatis**. & quia simulauit ideo se ire, ut Caesari ostenderet, nos optimo in illum esse animo: quod contra fecit. **TANTVM scio**, & reliqua, ad me delata de Quinto filio, explorata non sunt: hoc plane scio. **SVIS** & Caesaris. **HAEC ipsa timide**. & ad te scribo: quia scio tibi dolorem allatura: reliqua non audeo. supra: Eo progressus est, quo non audeo dicere. Et proxime: Hoc uero eius iter, simulatioq. pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. **NVLLA nostra culpa** & non in educatione uitium fuit, sed in natura. **HORTENSII filium**, & qui erat cum Curione in Caesaris partibus, de hoc Valerius. **METVIT**. & quia nostrum consilium de relinquenda Italia patefactum Caesari sit. **QVAE ad nos delata**, & quae de Quinto filio audiuius, ab eo ad Caesarem. **QVID futurum sit** & uereor enim, ne Caesar, cum nostrum consilium cognouerit, nos obseruari, & fugientes retrahi iubeat. **NAM si haberemus &c.** & iacente rep. nihil audeo contra prauam huius naturam; ne uidear aduersari, non quia deprauatus pessime de nobis mereatur, sed quia pro Caesare faciat. quod si esset aliqua resp. consolationem abs te nullam quaererem; consilium ipse caperem aut ad seueritatem, aut ad indulgentiam. aut enim illum seueritate reprimere: aut, abiecta de illo profus omni cura, permitterem, ut ageret & suo arbitratu, & suo periculo quod uellet. **IRACVNDIA** & magis placeret, Ira, ut est in antiquo libro: quia uidetur iracundia non iram, sed naturae ad iram procliuatatem ostendere: ut, si diceret, Haec scripsi iratus, rectius uideretur, quam, Haec scripsi iracundus. uideo tamen in hac ipsa pagina Iracundiam pro ira iterum usurpatam, item alibi. **IGNOSCES** & quia scripsi, quae tibi scio fore acerbissima. **EVM** & ipsum Curionem. **LEGE Pompeia** & legem appellat, cum tamen duas significet, de ambitu unam, alteram de ui, quas Pompeius tertium consul tulerat. **Pedianus**. **IN Sicilia** & qua Caronem expulit. Caesar lib. 1. de bello ci. **PROPIVS factum esse nihil**. & quam ut L. Metellus tribunus pl. cum aerarij fores complexus ueraret Caesarem ingredi, occideretur. Haec tamen quattuor uerba. nō opinor suo loco posita, sed collocanda post, Tribunum pl. **EVM** & Caesarem. **VOLVISE** & iminatum esse Metello, si pergeret obstare, quo minus ex aerario pecuniam posset sumere. **DE aerario**: & quia, cum aerarij claues non inuenirentur, refractis foribus publicas pecunias abstulisset. Plutarchus, & infra ep. 7. **SEX tui fasces** & Caesar Curioni Siciliam prouinciam assignauerat, quam pro praetore administraret; ideoq. & fasces ut imperium habenti dederat. **CVRLAUREATI** & neque enim laureatis utebantur, nisi post uictoriam de hostibus partam: at Curio neque adhuc uictoriam ullam erat assecutus, & bellum cum ciuibus gerebat. **IPSO** & Caesare. **CVR SEX?** & nam duodecim extra ordinem. **Paulus Aemilius praetor ad bellum Ibericum proficiscens usus est**: quod in urbe consulibus tantum, extra urbem pro consulibus licebat. **CVR VI &c.** & egi cum Caesare de S. C. ab amicis & familiaribus occulte faciendo, quo mihi Siciliam prouinciam cum imperio, fascibusq. datam constaret: at ille, qui nunc senatui maxime est infensus, ita respondit: Senatum contemne; a me omnia proficiscuntur. **SURREPTO** & nam, si palam ageretur, Pompeianus aliquis tribunus pl. S. C. intercessisset, ut L. Metellus, qui omnia, quaecumque Caesar agere instituit, intercessione impediuit. itaque fam. l. 8. epist. 16. **HIS**, inquit, intercessione plane incitatus est Caesar. & libro 1. de bello ci. **DVODECIM nolui** & quibus pro consulibus utebantur. **LICEBAT** & per Caesarem, qui mihi omnia concessisset, **PETIISSE ab eo** & ut ubiuis esse possem. **PHILIPPVM** & qui Atiam, Iulia Caesaris sorore natam, habebat in matrimonio, post Octauij prioris uiri obitum. uitricus igitur Octauij, qui post Augustus. **NHILL impetrabat**. & petens, ut in senatum uenirem: quod si refugerem, ne adessem, cum de Pompeio detraheretur; uenirem tamen, & agerem de pace. ep. 17. lib. 9. **NVNC ipsum** & uide epist. 9. lib. 8. **EIVS causa** & eius quidem causa, quod ad eum attinet, minime offendisses, si ex Italia discessisses. **TVAM prouinciam** & Siciliam; qua nauigandum mihi erit, ad Pompeium in Graeciam proficiscenti, licebit ne hoc mihi per te, & tua praesidia? **PERLIBERALITER** & amantissimis uerbis usus est; cum omnia polliceretur. **EST uerum profecto** & mallem, Est profectum, hoc quidem sermone, quem cum Curione habui. primum enim, ex profectum factum suspicor, profecto, deinde ad profecto additum ex ingenio Verum. **EXSPECTATVRVS** & Caesar, ut interrex comitia consularia haberet: quod fieri solebat, cum, anno finito, nulli dum designati consules essent. **EXSPECTATURVS**: dum Lentulus & Marcellus annum consulatus tempus perfectissent. **AN** & an potius, ante quam ab urbe discedat, decretum ab auguribus fieri uelit, quo uel consules creare praetor possit, uel dictatorem dicere, qui deinde consules creet. epist. 8. & 14. lib. 9. **QVO modo dixerim** & quasi turpe quiddam, nec dicendum, occultat, quod contra morem maiorum sit, aut consules creati a praetore, aut dictatorem dici. uel est incerti animi significatio; cum ignoret, quid acturus Caesar sit de comitijs consularibus, si haberi ab interrege nolit, ut sit, **QVO modo dixerim Caesare hoc explicaturum?** **Ad se** & ad ipsum Caesarem. **DEFERRI** & a populo: aut, a legibus, cum is offerant, quo ei per leges consulem fieri liceret. decem enim anni post gestum cum Bibulo consulatum abierant. **NOLLE** & uoluit. nam, ipso dictatore comitia habente, consul factus cum Seruilio Maurici filio, lib. 3. de bello ciu. **NVLLO negotio** & iurabat in re graui, sed, etiam si nulla grauis esset causa, iuraret tamen pro Caesare. uel: quod ego illum facile, hoc est prompto animo, iurare intelligerem. ex quo simulationis tollebatur suspicio. uidebatur enim id ex animo facere. **ESSE debet** & existimo ita esse. **AFFIRMABAT**, & Dolabella potius, quā Curio, si consideretur illud, Dico quid? affirmabat igitur in suis litteris.



Quod me cuperet } pro, se cupere. Eodem modo, Quod, Plautus usurpauit: Equidem scio iam, filius quod amet meus. & Ouidius de Tristibus:

„ Delicias si quis, lasciuq. carmina quaerit;  
„ Praemoneo, numquam scripta quod ista legat.

Vide Commentarium nostrum epist. 28. lib. 7. Fam. ILLVM } Caesarem. GRATIAS agere } quod ab ipso non rogatus, ultro scripsisset ad me, ut ad urbem uenirem. IVEBAT } Bessarionis liber, Videbat. utrocumque modo, mendum tamen remanet, deesse enim aliquid uidetur, quippe cum a sermone Curionis ad mentionem Quinti filij nullo uerborum adminiculo transeat. DOMESTICI mali } a Quinto filio: qui sermonem habuit cum Hirtio, mox cum Caesare. epist. 4. ILLVM } Quintum filium. ME inuito } profectus est ad Hirtium. QVAE pro illo sit suspicandum } & hoc, non dubito, quoniam mendum contineat. Supplicandum, est in Bessarionis libro. CONVENTO } a te Attice; ut ex eo certum sciremus de Quinto filio. NESCIO quid } nescio quid mali ex hac Quinti filij profectioe creatum. sed uelim quam minimo defungamur. & uidentur hae uel commistae epistolae, uel praeposterae, nam supra narrauit sermonem Hirtianum. TV Oppios Terentiae dabis } tu Oppios ( de quibus epistola 7. lib. 8. ) Terentiae conciliabis; ut illi praesto sint, si quid ei opus erit. nam cauendum est illi tantum ab urbis periculo: quod unum iam uidetur incommodum superesse. nam illud de turpitudine, quod me antea mouebat, si eo loco feminae Romae manerent reliquis abeuntibus, iam faceffit, cum nobiliores feminae in urbem omnes iam redierint. quoniam igitur mansura est Terentia, Oppios illi da. ME tamen } quia uidebatur epistolam in eo terminasse, Periculum est; subiunxit, Hoc tamen addam. UT uidero } rursus cum aliquo profectum expectabat. ep. 4. TIRONE } Patris aegrotante. epist. 5. lib. 8. & 16. lib. 9. & fam. lib. 16.

Cicero S. D. Attico. 5.

DE tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi uisus sum, diligenter: de die nihil sane potest scribi certi, praeter hoc, non ante Lunam nouam. Curionis sermo postridie eandem habuit fere summam, nisi quod apertius significauit, se harum rerum exitum non uidere. Quod mihi mandas de quodam regendo, ἀπράδιον, tamen nihil praetermittam. atque utinam tu. sed modestior non ero. Epistolam ad Vestorum statim de Tullia. ac ualde requirere solebat. Commodius tecum Vestenus est locutus, quam ad me scripserat: sed mirari satis hominis negligentiam non queo. cum enim mihi Philotimus dixisset, HS L emere de Canuleio diuersorium illud posse, minoris etiam empturum, si Vestenum rogassem; rogauit, si quid posset, ex ea summa detraberet: promisit: ad me nuper, HS xxx emisse: ut scriberem, cui uellem addici: diem pecuniae id. Nou esse, rescripsi ei stomachosius, cum ioco tamen familiari. nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem, scripsiq. ad eum, me a te certiore esse factum. Tu, de tuo itinere quid, & quando cogites, uelim me certiore facias. ad xv. kal. Mai. Vale.

## EXPLANATIO

TOTA mea cogitatione } consilio abeundi. DIE } nauigationis meae. LUNAM nouam } tum enim plerumque turbulenti sunt dies: ut id tempus maxime sit nauigantibus uitandum. HARVM rerum exitum non uidere. } id est, adum esse de rep. spem reliquam esse nullam. ep. 4. DE quodam, } de Quinto filio: cuius nomen occultat; itaque & proximis uerbis paene sententiam breuitate obscurat, ueritus ne in alienas manus epistola perueniret. ἀπράδιον } difficilem prouinciam. Adagium, UTINAM tu } suscepisses iuuenem regendum. epist. 6. MODESTIOR non ero } in eo regendo: utar seuera disciplina. itaque epist. 6. Quintum puerum, inquit, accepi uehementer, & epist. 7. Quintum filium seuerius adhibebo. utinam proficere possem. EPISTOLAM } mihi, REQUIRERE } ut sibi commendarem aliquem meorum. COMMODIUS } liberalius de die pecuniae pro diuersorio soluendae. NEGLIGENTIAM } qui tam negligenter cum Canuleio de die solutionis egisset. longiorem enim fuit impetraturus, si contendisset. DE Canuleio } nota locutio, pro, A Canuleio: ut De Crasfo domum emissem, in epistola ad Sextium. ROGASSEM } ut ageret cum Canuleio, amico suo. EMISSE } meo nomine. ADDICI } diuersorium. PECUNIAE } Canuleio soluendae. STOMACHOSIUS } subracunde, qui tam angustum diem solutioni praefiniret. ep. 9. Ioco familiari } quia sic epistolam inscripsi, Vesteno Monetali. uide ep. 9. AGIT liberaliter } quia diem pecuniae longiorem fore pollicetur. CERTIOREM esse factum } de eo, quod tecum locutus est, se curaturum, ut solutionis tempus ultra idus Nou. produceretur. Tuo itinere } in Epirum. ep. 7. l. 9.

Cicero



Cicero S. D. Attico. 6.

**M**E adhuc nihil, praeter tempestatem, moratur. **A**stute nihil sum acturus. fiat in Hispania quid libet: & tamen retice, meas cogitationes omnes explicavi tibi superioribus litteris. quocirca haec sunt breves: & tamen, quia festinabam, etiam occupator de Quinto fratre: ita me quidem sedulo; sed nosti reliqua. Quod deinde mones, & amice, & prudenter mones: sed erunt omnia facilia, si ab uno illo cauero. magnum opus est. mirabilia multa, nihil simplex, nihil sincerum. uellem, si scerpisses iuuenem regendum. pater enim nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat, si sine illo possem, regere; quod tu potes: sed ignosco. magnum, inquam, opus est. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam, ego nunc, qua, & quo, uidebo. Ego uero Apuliam, & Sipontum, & tergiversationem istam probo: nec tuam rationem eandem esse dico, quam meam: non quia in re publica rectum idem sit utriusque nostrum: sed ea non agitur: regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior rex, & probior, & integrior, & is, qui nisi uincit, nomen populi deleatur necesse est: sin autem uincit, Sullano more, ex emplo. uincet. ergo hac in contentione neutrum tibi palam sentiendum, & tem-

pori seruendum est. Mea causa autem alia est, quod beneficio uinctus, ingratus esse non possum: nec tamen in acie, sed Melitae, aut alio in loco, siue in opidulo futurum puto. Nihil, inquit, iuuas eum, in quem ingratus esse non uis? Immo minus fortasse uoluisset. sed de hoc uidebimus. exeamus modo: quod ut meliore tempore possimus, facit Hadriatico mari Dolabella, freto Siciliae si Curio. Iniecta autem mihi spes quaedam est, uelle mecum Ser. Sulpicium colloqui. ad eum misi Philotimum cum litteris, si uir esse uolet; praeclarum uel dia, si autem; erimus nos, qui solemus. Curio mecum uixit, iacere Caesarem putans offensioe popularis, Siciliaeque diffidens, si Pompeius nauigare coepisset, Quintum puerum accepi uehementer. auaritiam uideo fuisse, & spei magni coniarum. magnum hoc malum est: sed scelus illud, quod immeramus, spero nullum fuisse. hoc autem uitium, puto te existimare non nostra indulgentia, sed a natura profectum. quem tamen nos disciplina regimus. De Oppii Veliensibus quid placeat, cum Philotimo uidebis. Epirum nostram putabimus: sed alios eius uidebamur habituri. Vale.

## EXPLANATIO

**M**ORATUR ? quia tempestatem non est ad nauigandum idonea. **A**STUTE ? astute agerem, si profectioem meam ad Pompeium differrem, dum scirem, quid in Hispanijs ageretur. **E**PIST. SEQUE-  
**TI.** **R**ETICE. ? suspicor mendum subesse: suspicor autem non solum ex sententia satis absurda, sed etiam ex uarietate exemplarium, nam in Bessarionis, & Alberti Tertij libris, Recitet &c. Et tamen ? & tamen etiam ob hanc causam breues sunt. **D**E **Q**UINCTO **F**RATRE ? Quinti fratris causa. Alij, de Quinto filio: ut subaudiatur, regendo. **S**ED **U**IDEO ? hoc uidetur significare: Ita mihi saepe corrigendus.  
**M**ONES ? ut caueam, ne quis profectioem meam ad Pompeium odoretur. **A**B **U**NO **I**LLO ? a Quinto filio: a quo cauere difficilius est, quam a ceteris; quia coniuncte nobiscum uiuit. **M**A<sup>GN</sup>**U**M **O**PUS ? duram prouinciam cepi. **M**I<sup>R</sup>**A**BILIA **M**ULTA ? de eius minime simplici ingenio. **S**I **S**INE **I**LLO **P**OSSEM ? si pater abesset: qui relaxat, quidquid ego adstrinxi. **Q**UOD **T**U **P**OTES ? neque enim Quintus pater tecum est. **I**G<sup>N</sup>**O**S<sup>C</sup>**O** ? paterno amori: a quo est in filium indulgentia. **Q**U<sup>A</sup>, **E**T **Q**UO, ? qua utar uia, quo iter intendam. **E**PIST. 2. **E**GO **N**ERO, ? puto initium alterius epistolae, quid enim infra iteret de Quinto filio? **T**ERG<sup>I</sup>**V**ERSATIONEM ? scripserat Atticus, se quoque exiturum ex Italia, sed lente, & quasi tergiversantem, ne uideatur Caesaris imperium refugere, & praesentem, reip. statum improbare: idemque in Apulia, maxime Siponti, aliquandiu mansurum. **N**E<sup>U</sup>**T**RUM ? neque pro Caesare, neque pro Pompeio: quorum neuter pro rep. pugnat. **I**N **A**CIE ? in castris, ubi erunt copiae, ubi pugnam erit. **M**E<sup>L</sup>**I**TAE, ? quae est insula Siciliae proxima. **E**P. 7. **F**U<sup>T</sup>**U**RUM ? me. **N**I<sup>H</sup>**I**L, **I**N<sup>Q</sup>**U**IES ? nihil enim iuuas, si in acie esse non uis. **M**I<sup>N</sup>**U**S **F**ORTASSE **U**OLU<sup>I</sup>**S**SET. ? non enim fortasse uoluisset me ad illum ire: quia, cum eo peruenero, dicam quae inuitus audiet: improbabo rationem belli, copias, de ducibus multos. **F**A<sup>M</sup>. **E**P. 5. **M**E<sup>L</sup>**I**ORE **T**EM<sup>P</sup>**O**RE ? licet mihi tempestatem idoneam expectare. quoniam dubitandum mihi non est, ut aut mari Hadriatico Dolabella, aut freto Siciliensi Curio meam uiam quam nauigationem impediatur. **H**A<sup>D</sup>**R**IATICO ? cuius est commissa cura Dolabellae, genero meo. **F**LORUS **L**. 4. **F**AUCES, **A**IT, Hadriatici maris iussu occupare Dolabella, & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyraeo litore castra posuerunt. **P**RAECLARA **C**ON<sup>U</sup>**E**R<sup>S</sup>**A**TIO ? praeclarum erit colloquium: ita memimus enim de officio urriusque nostrum. **V**I<sup>X</sup>**I**T, ? iucundissime fuit. **I**ACERE, ? odiosum esse plebi, quia pecuniam aerarij abstulisset. **E**P. 4. **N**A<sup>V</sup>**I**GARE ? Pompeij classem Curio timebat, quae si fuisset, aiebat se de Sicilia abiturum. **E**P. 5. **V**E<sup>H</sup>**E**M<sup>E</sup>**N**T<sup>E</sup>**R**. ? seuerete. **A**U<sup>A</sup>**R**I<sup>T</sup>**A**M. ? uideo eum ad Caesaris partes transisse, quia magnum ex eo coniarium a Caesare speraret. **Q**UOD **T**IMUERAMUS ? ne cum Caesare locutus esset de nostro consilio Italiae relinquenda. **E**P. 4. **D**E **O**PP<sup>I</sup>**I**S **V**E<sup>L</sup>**I**ENSIBUS, ? de quibus uide ep. 13. l. 7. & 4. l. 10. **E**P<sup>I</sup>**R**UM ? tuam. **N**O<sup>S</sup>**T**RAM **P**UTABIMUS ? utar ut mea, si acciderit, ut inde transeam, cum ad Pompeium proficiscar.

Cicero



Cicero S. D. Attico.

7.

ET res ipsa monebat, & tu ostenderas, & ego uide-  
 bā de ijs rebus, quas intercipi periculosum esset, si-  
 nem inter nos scribendi fieri tempus esse: sed, cum ad  
 me saepe mea Tullia scribat, orans, ut, quid in Hispa-  
 nia geratur, & expectem, & semper adscribat idem  
 uideri tibi, idq. ipse etiam ex tuis litteris intellexerim;  
 non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam,  
 scribere. Consilium istud tunc esset prudens, ut mihi ui-  
 detur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accom-  
 modaturi essemus: quod fieri dicitis oportere. necesse est  
 enim, aut id quod maxime uelim, pelli istum ab Hispa-  
 nia; aut trahi id bellum; aut istum, ut confidere uideatur,  
 apprehendere Hispanias, si pelletur: quam gratus, aut  
 quam honestus tum erit ad Pompeium noster aduen-  
 tus; cum ipsum Curionem ad eum transiturum putem &  
 si trahitur bellum: quid expectem, aut quam diu relin-  
 quitur, ut, si uincimur in Hispania, quiescamus: id ego  
 contra puto. istum enim uictorem magis relinquendum  
 puto, quam uictum, & dubitantem magis, quam fiden-  
 tem suis rebus. nam caedem uideo, si uicerit, & impe-  
 tum in priuatorum pecunias, & exsulū reditum, & ta-  
 bulas nouas, & turpissimorum honores, & regnum  
 non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cui-  
 quā tolerabile, tacita esse poterit in id dignitas nostra &  
 pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dice-  
 re? & quidem illum rogari prius? praesto esse clientem  
 tuum Cloelium, Catuli Plagulecium, ceteros? sed cur in  
 micos colligo? qui meos necessarios, ame defensos, nec ui-  
 dere in curia sine dolore, nec uersari inter eos sine dede-  
 core potero. quod si ne id quidem est exploratum, fore,  
 ut mihi liceat: (scribunt. n. ad me amici eius, me illi nul-  
 lo modo satisfecisse, quod in senatum non uenerim) tam-  
 en ne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo uendi-  
 temus, qui eum coniuncti ne cum praemio quidem uo-  
 lumus esse & deinde hoc uide, non esse iudicium de tota  
 contētionē in Hispanijs nisi forte, bis amissis, arma Pom-  
 peium abiecturum putas: cuius omne consilium Themis-  
 tocleum est. existimat enim, qui mare teneat, cum neces-  
 se rerum potiri, itaque, qui numquam egit, ut Hispaniae  
 per se tenerentur, naualis apparatus ei semper antiquis-  
 sima cura fuit. nauigabit igitur, cum erit tempus, maxi-  
 mis classibus, & ad Italiam accedet: in qua nos seden-  
 tes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. classi-  
 \* bus aduersabimur igitur? quod malum maius scilicet  
 \* rātim? denique quid turpius? Hannibal hic in absentis so-  
 lus tibi scelus: eiusdem cum Pompeio, & cum reliquis  
 principibus non feram? quod si iam, missi officio, pericu-  
 li ratio habenda est: ab illis est periculum, si peccaro,  
 ab hoc, si recte fecero: nec ullum in his malis consilium  
 periculo uacuum inueniri potest: ut non sit dubium, quin  
 cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum sa-  
 lute. Non simul cum Pompeio mare transferimus. Om-  
 nino non potuimus: exstat ratio dierum: sed tamen (sa-  
 teamur enim, quod est: ne condamur quidem, ut possu-  
 mus) sefelit ea res, quae fortasse non debuit, sed sefel-  
 lit: pacem putavi fore: quae si esset, ut atum mihi Caesa-  
 rem esse, cum idem amicus esset Pompeio. nolui. sense-  
 ram enim, quam iudem essent, hoc ueritus in hanc tardi-  
 tatem incidi. sed assequar omnia, si propero; si cunctior,

amitto. & tamen, mi Attice, auguria quoque me inci-  
 tant quadam spe non dubia, non haec collegij nostri ab  
 Appio, sed illa Platonis de tyrannīs. nullo enim modo  
 posse uideo stare istum diutius, quin ipse per se, etiam  
 languentib. nobis, cōcidat, quippe qui florētis, ac nouos,  
 ut uti diebus ipsi illi egenti, ac perditae multitudini in  
 odium acerbissimum uenerit, qui duarum rerum simu-  
 lationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello,  
 diuitiarum in aerario. Iam, quibus utatur uel socijs, uel  
 ministris, si y prouincias, si rep. regent, quarum nemo  
 duo menses potuit patrimonium suum gubernare? Non  
 sunt omnia colligenda: quae tu acutissime perspicias, sed  
 tamen ea pone ante oculos: iam intelliges id regnum  
 uix semestre esse posse. quod si me sefellerit, feram, si-  
 cut multi praeclarissimi homines, in rep. excellentes,  
 tulerunt, nisi forte me Sardanapali uice in suo lectulo  
 \* mori malle censueris, quam exsilio Themistocleq: qui  
 cum fuisset, ut ait Thucydides, ἔπει τε παραχρηῖα διέλα-  
 χίςεν βουλῆς κρατίστου γαμῶν, καὶ ἔπει μελλόντων ἐπι-  
 κληῖσον τοῦ γενομένου ἀριστοῦ εἰλασῆς, tamen incidit  
 in eos casus, quos uitasset, si eum nihil sefellisset. et si is  
 erat (ut ait idem) qui τὸ, τε ἀμείνον, ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφα-  
 νεῖ ἐτι πρὸς ἄρα μάλισα: tamen non uidit, nec quo modo  
 Lacedaemoniorum, nec quo modo suorum ciuium inui-  
 diam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. non  
 fuisset & illa nox tam acerbā Africano, sapientissimo  
 uiro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo uiro  
 C. Mario, si nihil utrumque eorum sefellisset. nos tamen  
 hoc confirmamus illo augurio, quo diximus: nec nos fal-  
 lit, nec aliter accidet. corruiat iste, necesse est, aut per  
 aduersarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est aduer-  
 sarius unus acerrimus, id spero uiuis nobis fore. quam  
 quam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac  
 exigua uita cogitare. si quid acciderit maturius; haud  
 sane mea multum interfuerit, utrum factum uideam,  
 an futurum esse multo ante uiderim. quae cum ita sint,  
 non est committendum, ut ijs paream, quos contra me  
 senatus, ne quid resp. detrimenti acciperet, armauit.  
 Tibi sunt omnia commendata; quae commendationis  
 meae pro tuo in nos amore non indigent. ne hercule qui-  
 dem reperio, quid scribam: sed eo enim πλοῦδοσῶν: est  
 nihil unquam tam fuit scribendum, quam nihil mihi un-  
 quam ex plurimis tuis incūditibus gratius accidisse,  
 quam quod meam Tulliam suauissime, diligentissimeq.  
 coluisti. ualde eo ipsa delectata est, ego autem non mi-  
 nus. cuius quidem uirtus mirifica. quo modo illa fert pu-  
 blicam cladem? quo modo domesticas tricas? quantus au-  
 tem animus in discessu nostro? σοφῶς sit summa σωτη-  
 ρία: tamen nos recte facere, & bene audire uult. Sed hac  
 super re nimis; ne meam ipse σὺ μὲν ἀθῆναι euocem. Tu,  
 si quid de Hispanijs certius, & si quid aliud, dum ad su-  
 mus, scribes: & ego fortasse discedēs dabo ad te aliquid,  
 eo etiam magis, quod Tullia te non putabat ex Italia  
 hoc tempore. Cum Antonio item est agendum, ut cum  
 Curione, Melitae me uelit esse: huic bello nolle interes-  
 se. eo uelim tam facili uti possem, & tam bono in me,  
 quam Curio is ad Missenum vi. non. uenturus diceba-  
 tur, id est hodie: sed praemisit mihi odiosas litteras,  
 hoc exemplo,

Anto-



Antonius trib. propraet. Ciceroni imp. S.  
 Nisi te ualde amarem, & multo quidem pius, quam pu-  
 ras, nõ extimuissem rumore, qui de te prolatus est, cum  
 praefertim falsum esse existimarem: sed, quia te nimio  
 plus diligo, non possum dissimulare; mihi famam quo-  
 que, quamuis sit falsa, magni esse. Te iturum trans ma-  
 re, credere non possum, cum tanti facias Dolabellam,  
 & Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantiq. ab om-  
 nibus nobis fias; quibus mehercule dignitas, amplitu-  
 doq. tua paene carior est, quam tibi ipsi. sed tamen non  
 sum arbitratus esse amici, non commoueri etiam impro-  
 borum sermone. eo feci studiosus, quod iudicabam du-  
 riores partes tibi impositas, esse ab offensione nostra,  
 quae magis a *Χρότων* a mea, quam ab iniuria tua na-  
 ta est. sic enim uolo te tibi persuadere, mihi neminem esse  
 cariorem te, se excepto. Caesare; meq. illud una iudicare,  
 Caesar em maxime in suis M. Ciceronem reponere.  
 Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serues,  
 eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius  
 iniuriam fecit: contra, cum ne profugias, qui te, et si non  
 amabit, (quod accidere non potest) tamen saluum, am-  
 plissimumq. esse cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium  
 familiarissimum meum, nisi; ut mihi magnae curae tu-  
 am uitam, ac dignitatem esse scires. Eodem die a Caesa-  
 re Philotimus litteras attulit, hoc exemplo.

Caesar imp. M. Ciceroni imp. S. Et si te nihil  
 temere, nihil imprudenter facturum iudicarem: tamẽ,  
 permotus hominum fama, scribendum ad te existimaui,  
 & pro nostra beniuolentia petendum, ne quo progrede-  
 reris inclinata iam re, qua integra etiam progrediẽdum  
 tibi non existimasses. namque & amicitiae grauiorem  
 iniuriam feceris; & tibi minus commode consulueris, si  
 non fortunae obsecutus uideberis; omnia. n. secundissima  
 nobis, aduersissima illis accidisse uidentur; nec causam  
 secutus; eadem enim tum fuit, cum ab eorum consilijs  
 abesse iudicasti: sed meum aliquod factum condem-  
 nauisse: quo mihi grauius abs te nil accidere po-  
 test, quod ne facias, pro iure nostrae amicitiae a te pe-  
 ro. Postremo, quid uiro bono, & quieto, & bono ciui  
 magis conuenit, quam abesse a ciuilibus controuersijs?  
 quod non nulli cum probarent, periculi causa sequi non  
 potuerunt. tu, explorato & uitae mae testimonio, et ami-  
 citiae iudicio, neque tutius, neque honestius reperies  
 quidquam, quam ab omni contentione abesse. xv. kal.  
 Mai. ex itinere. Vale. Aduentus Philotimi (at  
 cuius hominis, quam insulsi, & quam saepe pro Pompe-  
 io mentientis) exanimauit omnes, qui mecum erant:  
 nam ipse obdurui. Dubitauit nostrum nemo, quin Caesar  
 iuura repressisset: uolare dicitur. Petreius cum Afra-  
 nio se cõiunxisset: nihil affert eiusmodi. Quid quaeris?  
 etiam illud erat persuasum, Pompeium cum magnis co-  
 pijs iter in Germaniam per Illyricum fecisse. id enim  
 ad *Θετύχο*s nunciabatur. Melitam igitur, opinor, cape-  
 semus, dum, quod in Hispania: quod quidem propemo-  
 dum uideor ex Caesaris litteris ipsius uoluntate facere  
 posse; qui negat neque honestius, neque tutius mihi quid  
 quam esse, quam ab omni contentione abesse. dices, ubi  
 ille, ergo tuus animus, quem proximis litteris adest, &  
 idem est: sed utinam meo solum capite decernerem: la-  
 crumae meorum me interdum molliunt, precantium, ut  
 de Hispanijs expectemus. M. Coelij quidem epistolam,  
 scriptam miserabiliter, quae hoc idem obsecraret, ut ex

spectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos  
 omnes tam temere proderem, non sine magno fletu lege-  
 runt pueri nostri. etsi meus quidem est fortior, eoq. ipso  
 uehementius commouet, nec quidquam, nisi de dignatio-  
 ne, laborat. Melitam igitur; deinde, quod uidebitur, tu  
 tamen etiam nunc mihi aliquid litterarum, & maxime  
 si quid ab Afranio. Ego, si cum Antonio locutus ero,  
 scribam ad te, quid actum sit: ero tamen in credendo, ut  
 mones, cautus. nam occulandi ratio tum difficilis, tum  
 etiam periculosa est. Seruum exspecto ad nonas, &  
 adicit a Postumia, & Serui filij. Quartanam le-  
 uorem esse gaudeo. Misi ad te Coelij etiam litterarum  
 exemplum. Coelij M. Ciceroni imp. S. Exanima-  
 tus tuis litteris, quibus te nihil, nisi triste, cogitare esse  
 disti; neque, id quod esset, perscripsisti; neque non tamen,  
 quale esset, quid cogitares, aperuisti; has ad te illico litte-  
 ras scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te  
 pro, & obsecro, ne quid grauius de salute, & incolumi-  
 tate tua consulas. nõ deos, hoiesq., amicitiamq. nostra te  
 sufficior, me neq. timere tibi praedixisse, neq. temere mo-  
 nuisse. sed, postquam Caesarẽ conuenerim, sententiamq.  
 eius, qualis futura esset parta uictoria, cognorim, te car-  
 tiorem fecisse. Si existimas eandem rationem fore. Cae-  
 saris in dimittendis aduersarijs, & conditionibus ser-  
 uandis, erras, nihil, nisi atrox, & saeuum, cogitat, atque  
 etiam loquitur: iratus senatus exiit: hic intercessionib.  
 plane incitatus est, non mehercule erit deprecatio ioc-  
 tus. Quare, si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes  
 tuae reliquae tibi carae sunt; si aliquid apud te nos, si,  
 uir optimus, gener tuus ualet: eorum fortunam non de-  
 bes uelle conturbare; ut eam cassam, in cuius uictoria,  
 salus nostra est, odi se, aut relinquere cogamur, aut im-  
 piam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. De-  
 nique illud cogita, quod offensae fuerit, in ista cõntra-  
 ctione te subijisse. nunc te contra uictorem, facere, quem  
 dubijs rebus laedere noluidi, & ad eos fugatos accede-  
 re, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est.  
 uide, me, dum pudet te parum optimatẽ esse, parum di-  
 ligenter, quid optimum sit, eligas. quod si tibi tibi per-  
 suadere non possum, saltem, dum, quid de Hispanijs a-  
 gamus, scitur, exspecta; quas tibi munio aduentu Cae-  
 saris fore nostras, quam isti spem habeant amissis Hi-  
 spanijs, nescio. quod porro tuum consilium sit, ad despe-  
 ratos accedere, non medijs fidius reperio. Hoc, quod tu  
 non dicendo mihi significasti, Caesar audierat: ac simul  
 atq., haue, mihi dixit, statim, quid de te audisset, expo-  
 suit. negaui me scire: tamen ab eo petiui, ut ad te litte-  
 ras mitteret, quibus maxime ad remanendum commo-  
 ueri posses, me secum in Hispaniam ducit, nam, nisi ita  
 faceret, ego potius, quam ad urbem accederem, ubicum  
 que esses, ad te percurrissem, & hoc a te praesens con-  
 tendissem, atque omni uie retinuissem. Etiam atque  
 etiam, Cicero, cogita, ne te, tuosq. omnes funditus cuet-  
 tas, nec te sciens, prudensq. eo demittas, unde exitum  
 uides nullum esse. quod si te aut uoces optimatum com-  
 mouent; aut non nullorum hominum insolentiam, &  
 iactationem ferre non potes: eligas, censeo, ali-  
 quod opidum uacuum a bello; dum haec decernan-  
 tur, quae iam erunt confecta. id si feceris, & ego  
 te sapienter fecisse iudicabo, & Caesarem non offendes.  
 Vale.



## EXPLANATIO

**E**XPECTEM, & ut differam profectionem meam ad Pompeium, dum Hispaniensis belli exitu audie-  
mus. **I**STVM & Caesarem. **T**RAHI & duci. **I**PSVM *Curionem* & quo nunc magis Caesarianus nemo est.  
**Q**UIESCAMVS & consilium eundi ad Pompeium omittamus. **I**STVM & Caesarem. **Q**UAM *uictum* & quam  
cum uictus sit, magisq. dubitet, quam fidat suis rebus. **G**ABINIO & Caesaris amico: qui ab exsilio restitu-  
tus sententiam dicit in senatu, & quidem ante me rogatus. **D**IO lib. 39. **C**LOELIVM, & Bessarionis, & Al-  
berti Tertij libri, Clodium, & Cateli, pro, Catuli, utrum rectius, diuinare non licet, facimus tamē, quod  
nostri muneris est, ut antiquam scripturam ostendamus. **C**ATVLI, & clientem. Sic alibi: In qua erat Eros  
Celeris. **A** ME *defensos* & non modo inimicos, sed nec meos necessarios, qui me defendente condemna-  
ti in exsiliū abierunt, restitutos a Caesare, uidere in senatu sine dolore potero. **D**OLORE & quia, legi-  
bus condemnatos, armis restitutos uidebo. **D**EDECORE & quia uerfabor inter homines iudicio notatos.  
**V**T *mibi liceat* & Romae uiuere, & in senatum uenire Caesare uictore. **T**AMEN *ne dubitemus* & id est,  
diutius ne dubitans, animoq. suspensus cogitem, an Caesari me uenditem, & in Italia maneam? est uero  
abijcienda dubitatio, potiusq. de discessu maxime cogitandum. nam, etiam si ei me nunc uenditem, ta-  
men non uideor expers periculi futurus, quoniam ab eo rogatus in senatum non uenerim. initio dissen-  
sionis, eius partes sequi si uoluissē, praemium aliquod tulissē. nolui: nunc ei me uenditem etiam  
cum periculo? **N**ON *esse iudicium* & casum Hispaniensem non esse mihi expectandum; propterea  
quod in eo bellum non terminabitur. **T**HEMISTOCLEVM *est* & cogitat, quod olim Themistocles con-  
tra Persas, classe bellum gerere, ideoq. in Hispanis haud multum ponit. **P**ER *se* & ut ipse praesens eas te-  
neret, sed, quasi de ijs non laborans, legatis, Afranio, Petreio, Varroni, negotium commisit. **S**EDENTES &  
otiosi, neutram partem adiuuantes. **C**LASSIBVS *aduersabimur* & Pompeij classibus. Sed otiosum uide-  
tur esse uerbum, quorsum. n. iteretur? itaque malim sic legi, **A**duersabimur igitur? **Q**UOD *malum &c.* &  
totus hic est perturbatus locus, ideoq. stellula e regione apposita notatus. Bessarionis antiquis liber di-  
ctionem, **M**alum, non habet, & habet, **A**n nivalde pro, Hannibal. **Q**UOD *si iam &c.* & officium postu-  
lat, ut Pompeium sequar. at periculosum erit, quoniam Caesar, cuius uenti secundiore uidentur, offen-  
derit, ita sane res habet. sed & mansio periculosa; si forte Pompeij causa, nunc afflicta, conualuerit. cū  
igitur utrimque periculum impendat, satius est Pompeium sequi, ideo recte facere, cum periculo, quā  
in Italia manere, id est peccare, eiusdem periculi metu. **A**B *illis* & a Pompeianis. **S**i *peccaro* & si in Ita-  
lia mansero. **A**B *hoc* & a Caesare. **S**i *recte fecero* & si ad Pompeium iuero. **V**T *non sit dubium &c.* & ut  
sine ulla dubitatione turpitudinem, quae est in mansione posita, fugere debeamus, eo magis, quod ne  
mansio quidem periculo uacat: quae uel si salutaris esset, ob turpitudinem tamen consilium caperem  
discedendi. **N**ON *simul* & obiectio. **O**MNINO & responsio. **F**EFELLIT *ea res* & decepit, induxit, id causae, inquit,  
fuit, ne simul cum Pompeio mare transferim, quod, pacem existimans fore, ueritus sum, ne deinde Caes-  
sar ob transitionem mihi esset inimicus. **E**P. XI. l. S. **F**ORTASSE *non debuit* & fortasse non tanti apud me  
istae suspitione esse debuit, ut propterea Pompeium, de me optime meritum, desererem. **C**UM *idem* & cū  
eodem tempore. uidebam enim, si pax esset, Caesarem, & mihi fore iratum, & eundem Pompeio ami-  
cum. **S**ENSERAM & Clodianis temporibus: cum Pompeius ideo me noluit defendere, ne Caesarem of-  
fenderet, cuius temporis similitudinem pertinui. **E**P. 4. **I**DEM & coniuncti, eiusdem uoluntatis. **A**V-  
**G**YRIA *quoque me incitant* & ad discessum, auguror enim spe non dubia, nullo modo stare posse Caesa-  
rem diutius, etiam nobis languentibus. **A**B **A**ppio & Bessarionis, & Tertij scripti libri, Ab Athico. &  
quoniam hi libri saepe pro Atticus habent Athicus, ut in hoc ipso ambitu, Et tamen mi Athice: putau-  
minore mutatione legi posse, Attio, quam, Appio: ut de Attio Nauio intelligatur, qui, Tarquinio Prisco  
Romae regnante, auguralem scientiam summum in honorem adduxit, de quo l. i. de Diuinatione his  
uerbis: Quis ueterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Nauio regionum facta descriptio? &  
qui cum propter & c. Liuius quoque lib. i. Explano igitur, Non haec collegij nostri ab Attio, non haec  
auguralis collegij ab Attio deriuata, sed illa a Platone sumpta, qui scripsit non diurnam esse posse ty-  
rannorum dominationem. **F**LORENTIS, *ac nouos, ut uti diebus* & quoniam ab impressis libris scripti  
ne littera quidem dissentiant, tentemus num elicere correctionem e coniectura possimus, ita ut ab anti-  
qua scriptura quam minimum discedatur, sic igitur fortasse corrigendum: Florentis, ac nouus VI. VI. I.  
diebus: id est, Florentissimus ac nouus sex septem diebus. ut, sex septem, dictum sit, pro, sex septemnes:  
quemadmodum dixit Horatius, Si quadringentis sex septem millia desunt. Plebs eris. cum paucos om-  
nino dies Caesar in urbe moratus in Hispaniam contra Pompeij legatos contenderit, quod ex ipsius  
Commentarijs de bello. ciuili planum sit. **I**PSI *illi* & quae antea eum spe licentiae, rerumq. nouarum  
dilexerat. **E**P. 3. lib. 7. **I**N *Metello* & cui mortem cum sit minatus, ostendit superiorem mansuetudinem  
non naturalem fuisse, sed simulatam. **I**N *aerario* & cum ex aerario pecunias abstulit, indicauit falsum  
esse id, quod antea simulauerat, affluere se diuitiis. quare, cum ab eo & caedes, & rapinae timeantur; ex  
metu odium creabitur, ex odio autem ea, quae ceteris tyrannis eueniunt. **E**P. 4. **P**ATRIMO-  
**N**IUM *sum* & nam & Antonius, & Curio, & Dolabella, Caesaris socij, magno omnes aere alieno op-



pressi. **FEFELLERIT**, & haec opinio de Caesaris non diuturno regno. **TYLERUNT** & ibo, inquit, ad Pompeium eo libentius, quod Caesarem puto, etiam languentibus nobis, diutius stare non posse. quod me si faller, aliterque, atque ego auguror, acciderit, feram, ut multi excellentes in rep. uiri; quos fefellerunt ea, quae putarant: ideoque & Themistocles, & Africanus, & C. Marius in eos casus inciderunt, quos uiderant, si nihil illos fefellerit. **NI SI forte** & nisi tu id censes, quod censere nequaquam debes, non esse mihi de discessu cogitandum; ut potius, Sardanapali exemplo, in patria, & in meo lectulo iners, in gloriosiusq. moriar, quam, ut Themistocles, in exsilio. **SARDANAPALI uice** & ut Sardanapalum, instar Sardanapali. Tacitus lib. 4. Qui omnia facta dictaq. eius uice legis obseruem, Suetonius in Nerone: **VI. ce mundi circumagi cenationem.** **IN suo lectulo** & pro, in meo. Graecum loquendi genus. nam *ἐαυτοῦ* ualeat, sui ipsius. non igitur legendum, Meo, quod uideo placuisse uiris doctis: sed accipiendum; Sui, pro meo, more Graeco, ut dixi. Sic & Pompeius in epistola ad consulem locutus est, lib. 8. ep. 6. Nunc, ut ego non sciebam, sua sponte intelligere scio, quanti reip. inter sit, omnes copias in unum locum primo quoque tempore conuenire. Sua sponte, pro ipsa re, tua sponte, me non monente, dixit. quamquam & hic sine causa mutatum erat, Sua, in Tua. Accedit consensus ueterum librorum, in quibus uideo scriptum esse, Sua sponte. **EXSVLIO Themistocleo** & pulsus inuidia ciuium, ad Artaxerxem, Persarum regem, exsul Themistocles confugit. Plutarchus. **QVI** & res interdum Cicero attendit potius, quam uerba, ut hic: nam, Qui, coniungi non potest cum, Exsilio Themistocleo: cum sint diuersa genera: sed quia, Themistocleo, nihil aliud quam, Themistoclis, significat, propterea, ut dixi, rem spectans Cicero, non uerbum, intulit, Qui. **AT** & lib. I. historiae. **LACEDAEMONIORVM** & quos publico Graeciae consilio cum offendisset, post ab iis accusatus est apud Athenienses, quod societatem cum rege Persiae occulto coiunxisset. Plutarchus, Iustinus. **SVORVM ciuium** & a quibus in exsiliium actus est. **ARTAXERXIS** & cui de subigenda Graecia pollicitus, postea cum uideret praestare non posse, uoluntaria morte, ueneno sumpto; uitam finiuit. Plutarchus. **ILLA nox.** & Africanus minor, mane in cubiculo suo mortuus reperitus, putatur suorum scelere sublatus, maxime Semproniae uxoris, cuius fratrem Ti. Gracchum, in concione interrogatus, dixerat, iure sibi caesum uideri, quod profecto numquam dixisset, si tale exitum prouidisset, ergo & eum, sapientissimum uirum, aliquid fefellerit, fefellerit & C. Marium; qui cum L. Sulla numquam profecto contentione suscepisset, si diem illum, quo urbe pulsus est, mentis acie prouidisset. **PERPETVA** & *πλείων χρόνος, ὃν δὲ μὴ ἀπέσχεον τοῖς κείτοις τὸν ἐθάρδον ἐκείνους γὰρ αἰεὶ κείνου μαι.* inquit apud Sophoclem Antigone. **MATVRIVS** & si acciderit, ut ante, quam iste corrumpat, ego pereram; mea non multum intererit utrum, &c. **Idem uiri docti hoc referunt ad Caesaris necem:** quod miror: cum sententia pateat ex eo: **Mea non multum intererit, &c.** **VT iis paream,** & ut Caesaris imperio me summittam, cum imperium mihi contra eum senatus dederit, fam. epistola 10. libr. 16. & in oratione pro Deiotaro, & Caesar de bello ci. lib. 1. **DOMESTICAS tricas,** & propter rem familiarem a uiro suo Dolabella male gubernatam, fam. epistola 16. libro 2. *εὐπρόσβουλος.* **ET CI.** & quamuis eximia sit eius in nos pietas, & amor, ideoq. metu periculorum, quae mihi ad Pompeium eunti uideor impendere, uehementer moueatur, ire tamen uult, & quid rectum sit magis, quam quid utile, considerat. **ET Italia** & exiturum. **ANTONIO** & quem Caesar, in Hispaniam contra Pompeij legatos proficiscens, Italiae praefesse uoluerat, Plutarchus. **NOLLE** & me hoc est Antonio dicendum. **QVAM putas,** & quia Clodio intimus fuerat Antonius in tribunatu. Philipp. 2. **RVMORE** & quod de tua ad Pompeium profectioe audiui. **DOLABELLAM** & generum tuum, qui nobiscum est. **A Ζηλοτυπία mea** & quia moleste tuli te augurem creatum, cum me eiusdem honoris cupiditas atque amor teneret, Phil. 2. **INIVRIA tua** & non. n. ea causa petisti auguratum, ut iniuria me afficeret, itaque, cum ob eam re quaedam consecuta sit offensus, nata non ab iniuria tua, quae nulla fuit, sed a Ζηλοτυπία mea, qui eundem honorem concupieram, danda mihi opera est, ut omnia tibi studia officiaq. praestem; ne uidear ex illius temporis memoria tibi esse infensus; cum intelligam, & fatear, nullam mihi a te iniuriam esse factam, non enim appellare possum iniuriam, quia tu petieris id, quod ego cupiebam. **TIBI omnia integra serues,** & sustineas te, & ut adhuc fecisti, neutram in partem inclines. **ETVS fidem improbes,** & Pompeio ne te credas. **INIVRIAM fecit.** & cum inimicum tuum Clodium contra ius amicitiae aduersus te armauit: ut eius opera pulsus in exsiliium uidearis, noli igitur spectare tam beneficium, cum te restituit, quam iniuriam, cum eiecit. **ETSI non amabit,** & tacitae Ciceronis obiectioni responderet, tu rentis, ne se Caesar, eius partes non sequentem, non amaret: nam Antonius id tantum petebat, ne Cicero iret ad Pompeium, non ut Caesarem sequeretur. **NON potest fieri non potest,** ut te non amet. **HOMINVM fama** & de tua profectioe ad Pompeium. **PERICVLI causa** & alijs bellis ciuilibus cum nonnulli nihil melius putarent, quam ab omni contentione abesse; tamen, quia ducem alterutrius partis sibi scirent esse inimicum, uictorem timentes contrariam partem adiuuent, quod tibi faciendum non est: qui ex superioris meae uitae testimonio scis me crudelitatem non amare, praetereaq. tibi esse amicum. **ADVENTVS** & non est epistolae principium, sed pars, ut fit, addita, dixit enim iam, aduenisse Philotimum. **INITIUM** autem huius satis longae epistolae illud est, **Et res ipsa me monebat.** **EXANIMAVIT:** & quia, cum pro certo haberemus, Caesarem in Hispaniam proficiscentem itineratius facere coepisse, Petreium cum Afranio copias coiunxisse, ipse nihil attulit eiusmodi, quod eo credendum magis est, quia scimus eum solere saepe pro Pompeio mentiri. **VOLARE dicitur** & ut nunc audimus, contra quam nobis erat persuasum. **CONIUNXISSET:** & hoc ad illud refertur; Dubitauit nostrum ne-



mo, quin. quod igitur utrumque certum putabamus, id aliter esse, e Philotimi sermone cognouimus. In Germaniam & inde Galliam petiturum, ut Caesarem auerteret ab Hispania. epist. 6. quod Philotimi sermone non confirmatur, MELITAM & uide ep. 6. DVVM, quod in Hispania & dum sciamus, quod in Hispania actum sit. VNICAM filiam & Vnicum filium, uidetur legendum ex epistola Coelij. PVERI nostri & meus, & fratris filius. De dignatione & de dignitate, de honesto. Bessarionis tamen liber, De dignitate, habet aperte, & potest sane suspecta uox esse Dignatio; cum alibi nusquam, quod meminere, in Cicerone reperiatur, etsi, quod ad sententiam attinet, Dignatio magis placet, quam Dignitas, quae non conuenit, in puerum. Si quid ab Afranio. & si quid ex Hispania: quam Afranius, Pompeij legatus, cum duobus collegis administrabat. CREDENDO & si permittit, ut ex Italia discedam; caute tamen credam. OCCULTANDI & consilij mei de discessu. SERVIVM & Sulpicium. epist. 6. POSTVMIA, & Seruij filij. & fateor, qui sit uerborum ordo, me non uidere: & ob hanc causam, & quia Bessarionis liber pro, & Seruij, habet, Scim, sulphicor de mendo. QVARTANAM & qua diu grauer laborasti. EXANIMATVS & affectus incredili dolore, qualem ferunt, qui exanimantur, epist. 15. libro 9. TVIS litteris & quae non exstant, multas enim perijisse constat. Tiro libertus, quas reperit, in uolumina reulit: quae ad aetatem nostram peruenerunt. APERVITSE & non perscripsisti, quid esset, quod cogitares, significatione tamē quadā ostēdisti. PER fortunās tuas & uoluptatur hic loquēdi modus cū dolore, aut certe cū summa cupiditate obsecratis. ut fam. ep. 1. l. 14. Per fortunās miserās nostras, uide ne puerū perditū perdamus. Et ep. 11. & 13. l. 5. Ne quid grauius de salute tua consulas? ne quid statuas, quod salutī tuae non expediat. QVALIS futura esset, & explanatur hoc eo, quod sequitur, Nihil nisi atrox, & saeuum cogitatur. Huic sententiae, respondit ipse Cicero his uerbis ep. 16. lib. 2. fam. Nec me ista terrent, quae mihi ad te ad timorē fidissimē, atque amantissimē proponuntur. EANDEM rationem fore Caesari & ita lenem fore Caesarem in salute aduersarij tribuenda, ut fuit in condicionibus de pace, tulerat enim illam conditionem, ut ipse, & Pompeius exercitus traderent. epist. 14. IRATVS senatui & quia non obtinisset, ut legati ad Pompeium de pace mitterentur, & quod, quascumque res agere instituerat, L. Metellus tribunus pl. intercedens impediatur. de quo scripsit Caesar l. 1. de bel. ci. & Plutarchus in eius uita. EXIT & urbe, iurus in Hispaniam contra Pompeij legatos, ipso iam Italia pulso. INTERCESSIONIBVS & L. Metelli tribuni pl. de quo sic l. 1. de bel. ci. Subijcitur L. Metellus tribunus pl. ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat, reliqua, res, quascumque agere instituerat, impediatur, cuius cognitio consilio, Caesar, frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquum tempus omittat, infectis ijs, quae agere destinauerat, ab urbe proficiscitur. Intercessionis causam, quam referre Caesar in suos Commentarios noluit, exponit Dio l. 41. quod, cum ferretur lex, ut promere pecuniam ex aerario Caesari liceret, intercessit L. Metellus tribunus pl. qui, cum intercessionem uideret, aerarij ianuam custodire coepit: sed milites, effracta sera, aditum ad pecunias Caesari dederunt. Plutarchus Caesarem, obstitenti Metello ne pecunias ex aerario sumeret, mortem minatum esse, tradit. subscribit Appianus, nec aliter ipse Cicero ep. 4. Iracundia elatum, inquit, uoluisse occidi Metellum. Si tibi tu, si filius unicus. & hanc partem, miserabiliter scriptam, non sine magno fletu lectam esse a duobus pueris Ciceronibus, Attico significauit his uerbis lib. 10. Lacruma meorum me inter dum molliunt, precantium, ut de Hispanijs expectetur. M. Coelij quidem epistolam, scriptam miserabiliter, quae hoc idem obsecraret, ut expectarem, ne fortunās meas, ne unicum filium, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri. DOMVM & Domū posuit pro domesticis, ut ep. 12. l. 6. Domus te tota saluat. Si aliquid apud te nos, & rogo te pro eo, quanti apud te sum. GENER tuus & Dolabella, qui apud Caesarem erat. SEQUERE eam causam & adiunge te ad Caesaris causam. SALUA nostra & mea, & Dolabellae. NE aut odisse & subaudi: eam causam, cuius ex uictoria salus nostra pendet. Totum huic locum emendauit ex antiquis libris, Bessarionis, & Tertij. IMPIAM cupiditatem & nam, si cupimus eam uictoriam, in qua salus nostra posita est, simul perniciem cupimus eorum, qui Pompeium sequuntur. quo tu in numero si fueris, cogemur impie cupere contra salutem tuam. QVOD offensae fuerit & si uereris, ne, in Italia si remanseris, Pompeium offendas: cogita, te, cum nondum ad eum transieris, hac eum cunctatione iam offendisse. quid quid esse potuit apud eum offensae, id subiijsti, quia cunctatus es, nec ad eum statim accessisti. VICTOREM & Caesarem. DVBIIS rebus & cum adhuc Pompeius in Italia consisteret. FUGATOS & iam in Graeciam Pompeius fugerat. PARVM optimatē esse & parum officio fungi boni ciuis. QUID optimū sit & quid tuae, tuorumq. salutis plurimum conducatur. TOTVM & ne omnino ad Pompeium transeas. DE Hispanijs & eiecto Italia Pompeio, statim ad urbem, deinde in Hispanias contra eius legatos profectus est Caesar. Hoc & uelle te ad Pompeium nauigare. OPTIMATVM & Ciceronem reprehendentium, quod Pompeium, & consules, id est ipsam remp. deseruisset, ep. 16. l. 8. & 2. l. 9. INSOLENTIAM & quorundam Caesarianorum, qui, quasi iam parta uictoria, ita se insolenter efferant, ut ferre uix possis. Cicero respondit: Nosti non modo stomachi mei, sed etiam oculorum in hominum insolentiam indignitate fastidium. ep. 16. lib. 2. fam. IACTATIONEM & qui se insolenter iactant, quasi deuidis Pompeij partibus. VACVVM ab illo & idem suauis gener eius Dolabella. fam. ep. 9. lib. 9. DVVM haec decernuntur & dum haec armis diiudicantur, ad exitum perducuntur. Sic Virg.

„ Decernere bello.



**M**E caecum qui haec ante non uiderim, nisi ad te epistolam Antonij. & cum ego saepissime scripsissem, nihil me contra Caesaris rationes cogitare; meminisse me generi mei, meminisse amicitiae; potuisse, si aliter sentirem, esse cum Pompeio; me autē, quia cum licitoribus inuitus cursarem, abesse uelle; nec id ipsum certum etiam nunc habere: uide, quam ad haec

τυρανικῶς.

Tuum consilium quam uerum est. nam qui se medium esse uult, in patria manet: qui proficiscitur, aliquid de alterutra parte iudicare uidetur. sed ego is non sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur, nec ne partes mihi Caesar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer quare parui refert me probare cogitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum, ad Caesarem mittas, censeo, & ab eo hoc petas. non dubito, quin impetraturus sis, cum praesertim te amicitiae nostrae rationem habitaturum esse pollicearis.

Habes σκοτάδιον λακωνικόν, omnino excipiam hominem. erat autem v. non uenturus uesper, id est hodie. cras igitur ad me fortasse ueniet, tentabo audeam,

nihil properare. misurum ad Caesarem clamabam, tū paucissimis alicubi occultabor. certe hinc istis inuicissimis euolabo, atque utinā ad Curionē. οὐδὲν τοι λόγῳ, magnus dolor accessit. efficietur aliquid dignum nobis. δουλοπία tua mihi ualde molesta. medero amabo dum est ἀρχή. De Massiliensibus gratiae tuae mihi litterae. quaeso, ut sciam, quidquid audieris, Siciliam cuperem, si possem palam: quod a Curione effeceram. Hic ego Scruium exspecto: rogor enim ab eius uxore, & filio: & puto opus esse. Hic tamen Cyteridem secum lectica aperta portat, altera uxorem. sepiē praeterea coniunctae lecticae amicarum, hae sunt amicorum. uide, quam turpi leto pereamus. & dubita, si potes, quin ille seu uictus, seu uictor redierit, caedem facturum sit, ego uero uel lintriculo, si nauis non erit, eripiam me ex istorum periculo. Sed plura scribam, cum illum conuenero. Inuenem nostrum non possum non amare: sed ab eo nos non amari, plane intelligo. nihil ego uidi tam ἀνθρώπινον, tam auersum a suis, tam nescio quid cogitans, uim incredibilem molestiarum, sed erit curae, & est, ut regatur. mirum est enim ingenium: ἡ δὲ οὐδὲν ἐπιμαρτυροῦν.

## EXPLANATIO

**M**E caecum, } qui ante non uiderim ea, quae nunc uideo, istos non duros, ut ex Italia arbitratu meo exire possem. stulte igitur cunctatus sum. σκοτάδιον } epistolam, quae occulte significet, profectioem ex Italia mihi ab eo non dari. GENERI mei, } Dolabellae, qui erat in partibus Caesaris. AMICITIAE } quae illi cum ipso Caesare summa erat. SI aliter sentirem } si Caesaris amicus non essem. ESSE cum Pompeio, } cum in Graeciam transit. CVM licitoribus } quos ut proconsul retinebat, nondum enim urbem introierat: quia fore sperabat, ut ob res in Cilicia gestas triumphas ingrederetur, quod ei propter bellum civile non contigit: interea, ductus ea spe, lictores laureatos cum imperio retinebat. INUITVS } ob sermone maleuolorum, hominis ambitionem, stultamq. cupiditatem notantium, qui, rep. ciuilibus armis perturbata, de triumpho cogitaret. ita quae epistola 16. lib. 2. fam. Incurrit, inquit, haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in uoculas maleuolorum. CURSAREM, } cursare non cursum, sed crebrum notum hic significat, quis enim, uirum consularem, & adhuc proconsulem, imperio & laureatis licitoribus ornatum, cucurrisse credat? est igitur, Curfare, huc illuc ire: quod etiam dicitur de ijs, qui lectica gestantur: quos certe currere nemo dixerit. epistola 1. lib. 7. fam. Vi mecum nostra simul lectica concursare possis. Simile illud epistola 1. lib. 1. ad Lentulum: Libonis, & Hypsaei non obscura concursatio, & contentio. Quoniam igitur in ijs, qui crebro mouentur, & loci mutatione delectantur, est quaedam currentium similitudo: propterea uerbum, Curfare, ad eos etiam, qui properant in agenda re, translatum est. ABESSE uelle } non dicit aperte, ex Italia se uelle discedere: ne laedat animum Antonij: sed, abesse uelle: quasi latebram aliquam, in qua cum licitoribus occultari possit, uel in Italia, uel extra Italiam quaerat. ita, sermone dubio, relata in lictores causa, facilius impetrare se posse cogitabat. sed eius consilium Antonius nō ignorans, expressit in suis litteris, quod Cicero occultauerat. rescripsit enim: Partes mihi Caesar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. Eodem modo ad Coelium, uoluntate dissimulata, scripsit Cicero epistola 16. lib. 2. fam. Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiae latebris contentus essem. Nec id ipsum certum etiam nunc habere, } dissimulat properationem suam; ne uideatur itionem in Graeciam cogitare. τυρανικῶς. } primum, quia rescripsit libere, quid sentiret de Ciceronis uoluntate: deinde, quia, se non esse permillurum, ut ex Italia discederet, ostendit. TVVM consilium quam uerum est } cum ironia dictum: in quo quaedam uidetur esse contemptio. & huc etiam spectat uerbum, τυρανικῶς. Quis credat, inquit, eum esse tuum sensum, quem significas? id est, nihil te contra Caesaris rationes cogitare &c. NE quem omnino } excepto nemine. Omnino, otiosum non est, sed comprehendit omnes, ut Ciceroni spem adimat impetrandi. PARVI refert, me probare cogitationem tuam, } quam tamen se non probare primis epistolae uerbis declarauit. NON dubito, quin impetraturus sis. } abesse non uidetur ironia. AMICITIAE nostrae } quae tibi & cum Caesare, & mecum, est. Cicero de Caesaris



fatis tantum amicitia, ut opinor, locutus erat; Antonius accipit, quasi de sua quoque dictum sit. ep. 23. lib. 16. fam. *Σκυτόλαι λακωνικῶν*. & breuem epistolam, quales occultis, grauibulq. de rebus Lacedaemonij ad imperatores suos, in loro scriptas, unde *σκυτόλαι* dictae, mittebant. uide Gellium lib. 17. c. 9. & Suidam. OMNINO & hoc uerbo utitur, ut sibi deliberatum ostendat, eum expectare, cuius tamen congressum libenter uitaret. EXCIPIAM & non dicit, Occurram, sed, hic eum expectabo, non discedam. VENTVRVS & in Miscenum. Ad me & dignitas proconsulis Ciceronis, ut ad eum iret Antonius, postulabat. TENTABO *audeam* & c. & utinam, quam facile mendum uideamus, itidem corrigere liceret: conandum tamen, si nihil aliud, ut aliorum excitentur ingenia. Hic fortasse legendum, & distinguendum hoc modo. Tentabo: aut dicam, nihil properare, missurum ad Caesarem, clam ibo, cum paucissimis alicubi occultabor. Vel tentabo, inquit, ut praefens impetrem ab Antonio; quod per litteras impetrare non potui; uel, si responsum idem feram, dicam me nihil properare, missurum ad Caesarem, quod ille suadet. deinde clam ibo, & paucissimis alicubi occultabor, eo consilio, ut hinc omnino, uel istis inuitissimis, euolem. VINAM ad Curionem, & in Siciliam, is enim Ciceronem admodum diligebat. *Σωθεῖς*. & fauente deo, hoc non separatim lego, sed cum superioribus coniungo, & a sequentibus disiungo. sic enim se enolaturum confirmat, si modo adiuuet deus. *τοὶ λέγα*. & *τοὶ* pro *σοὶ*, Dorice. Tibi, inquit, dico: euolabo hinc certe, istis inuitissimis. MAGNVS dolor & ex litteris Antonij, negantibus id, quod petebam, scriptisq. *τυραννικῶν*. ACCESSIT. & quasi non expectatus. uel, Accessit, ad eum, quem ex malis reip. capio. *Δυσουσία* & uirinae difficultas, quem sibi molestum esse morbum aiebat Epicurus: ep. 26. l. 7. fam. *Ἀρχή*. & principium, inueteratum enim morbum non facile medicina tollit, nascentem paruo negotio curat. Hinc Ouidius:

Principijs obsta, ferro medicina paratur,

Cum mala per longas inualere moras,

DE Massiliensibus & qui portas Caesari clauerant. EFFECERAM & obtinueram a Curione, ut palam nauigare possem ep. 4. SERVIUM & Sulplcium. ep. 6. & 7. OPVS esse & ut eius consilia cognoscam. forte enim & ipse mecum exire uolet ex Italia. ep. 6. HIC & M. Antonius. CYTHERIDEM & mimam, quam amabat, haec est, de qua Virgilius,

- tua Galle Lycoris.

Perq. niues alium, perq. horrida castra secuta est. quo loco uide Seruium & Philip. 2. VXOREM & Fuluiam, quae fuerat uxor P. Clodij. HAE sunt amicorum & ad satiandam amicorum libidinem. REDIERIT & Caesar ex Hispania. ILLVM & Antonium. IUVENEM nostrum & Quintum filium. MOLTIVM & publicis enim domesticae iunguntur,

Cicero S. D. Attico. 9.

OBSIGNATA iam epistola superiore, non placuit ei dare, cui constitueram, quod erat alienus: itaque eo die data non est. interim uenit Philotimus, & mihi a te litteras reddidit: quibus quae de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil *ὑπολογον*, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quo uelis, ipso sermone possis perducere. ne multa, omnes suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen caros habet, me quidem se ipso carionem. Quod de puero aliter ad te scripsit, & ad matrem de filio, non reprehendo. De itinere, & de sorore, quae scribis, molesta sunt, eoque magis, quod ea tempora nostra sunt, ut ego his mederi non possim: nam certe mederer. sed quibus in malis, & qua in desperatione rerum simus, uides. Illa de ratione num. maria non sunt eiusmodi, (saepe enim audio ex ipso) ut non cupiat tibi praestare, & in eo laboret, sed si mihi Q. Axius in hac mea fuga HS xlii. non reddit, quae dedi eius filio munus, & utitur excusatione temporis; si Lepia, si ceteris soleo mirari, de nescio quibus HS xx. cum audio ex illo se urgeri, uides enim profecto angustias. curari tamen ea tibi utique iubet. an existimas illum in isto genere lentulum, aut restrictum? nemo est minus. De fratre satis, de eius filio inualsit illi quidem suus pater semper: sed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem suorum ferocem fortasse, & arrogan-

nascentur ex indulgentia: sed ea sunt tolerabilia: (quid enim dicam, hac inuenture?) ea uero, quae mihi quidem, qui illum amo, sunt his ipsis malis, in quibus sumus, miseriora, non sunt ab obsequio nostro, non; suas radices habent: quas tamen euellerem profecto, si liceret. sed ea omnia mihi sunt patienda. ego me facile teneo. nihil est enim eo tractabilis. cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi: & quo ille me fortio-rem uult esse, eo magis timeo, ne in eum existat crudelior. Sed Antonius uenit heri uesper. iam fortasse ad me ueniet, aut ne id quidem, quoniam scripsit, quid fieri uellet, sed scies continuo, qui actum sit. Nos iam nihil, nisi occulte. De pueris quid agam? paruo ne nauigio committam? quid mihi animi in nauigando censes fore? recordor enim, aestate cum illo Rhodiorum ἀπελάξω nauigans, quam fuerim sollicitus, quid, duro tempore anni, actuariolo fore censes? o rem undique miseram. Trebatius erat mecum, uir plane, & cuius bonus. quae ille monstra, dii immortales, etiam ne Balbus in senatum uenire cogiter? sed ei ipsi cras ad te litteras dabo. Vult enim mihi amicum, ut scribis, ita puto esse cum eo, quod ἀποτόμος ad me scripserat de nummis curandis, *ὑπομῶτερον* erat. id tu, si ille aliter acceperit, ac debuit, lenies. Monetali autem adscripsi, quod ille ad me, Proconsuli: sed quoniam est homo, & nos diligit, ipse quoque a nobis diligitur. Vale.

EXPLA-







animo Coeliano. sed primum quidque: quod, quaecumq. indoles: modo aliquid hoc sit ἴδος AKIMODON: quod erit, continuo scies. Nos inueni, ut rogas, suppeditabimus, & Peloponnesum ipsam sustinebimus. est enim si adhuc nullum est, esse tamen potest: aut ἀπειρή non est δίδακτοῦ: quod mihi persuaderi non potest. Vale.

## EXPLANATIO

**I**MPERATVM ꝛ ne me patiatur exire ex Italia. **CVRIONEM nactus** ꝛ quia, Curionem nactus, effecerā ut per eius prouinciam palam nauigare possem; omnia me consecutum putabam: nunc uideo me nihil egisse, quoniam custodior undique, ne discedam. epist. 4. **AD Hortensium** ꝛ ut, quoniam inferi maris pars ei commissa esset, meam nauigationem ne impediret. **REGINVS** ꝛ & hic infero mari praeerat. liberam igitur Cicero suam nauigationem putarat fore, cum neque Curio, neque Hortēsius, neque Reginus impedimento futuri essent. id contra cecidit. nam Antonius & ipse eius maris curam postea suscepit, qui exitus ex Italia non dabit. **HVIC** ꝛ nullam, inquit, apud Antonium huius maris curam suspicabar futuram. **COMPACTO** ꝛ in omnibus libris, Cum pacto, ego coniectura, sum adductus, ut emendarem, Compacto, hoc sensu, Occulto hinc cogito discedere, ne meam profectioem Caesariani resciscant. nam id si accideret, suspicari Pompeius posset, accidisse me uolente, qui palam profectus essem, ut impediret. non committendum igitur est, ut uidear compacto prohibitus. Compacto, dixit, id est consulto, & dedita opera. qua uoce Plautus saepe in hūc sensum usus est. **MAIORA quaedam** ꝛ inde enim tuta erit in Graeciam nauigatio. epist. 4. **QVAMQVAM** ꝛ quamquam fortasse Curio Siciliam amiserit. quod utinam ita sit. **ADHVC nihil secundi** ꝛ adhuc aduersa nobis omnia fuerūt, ut uix uidear posse credere, quod de Siculis audiuit. **RESISTERET** ꝛ Curioni aduenienti, non restitit tamen, & prouincia cessit, ut est lib. I. de bello ci. **LVCVLENTVS auctor** ꝛ is, qui haec dixit. ἐπιπρωτοῦ. **AVDIETVR** ꝛ quid in eis actum sit. **EADEM de re** ꝛ de profectioe ad Pompeium. Bessarionis liber, Eadem fere. **SEVERIVS adhibebo** ꝛ seueri uultu, ut mones, eum accipiam. **QVIVAM uis** ꝛ exspecto Ser. Sulpicium, nec tamen exspecto quidquam sani, id est, non puto eum, quod uiro dignum sit, esse facturum, neque mecum ex Italia exiturum. **ERRASSE** ꝛ qui cunctatus sum, qui non ante discesserim. **PROUIDERE** ꝛ non ruere, non temere discedere, sed omnibus rebus ante circumspectis. **QVAE accidere possunt**, ꝛ mihi, si discedam, possunt autem accidere mors, & fortunarum ruina. **SEDENDVM** ꝛ manendum in Italia. **ISTIS** ꝛ Caesarianis. **EFFECISSEM** ꝛ quod est a nobis hac nostra mora contractum culpa, id profectioe ad Pompeium correxissem. **SVSPECTVS** ꝛ mihi: ut iter non audeam per eius prouinciam facere. epist. 4. **VI** ꝛ statim, sine ulla mora, uel cum periculo. sed, aduersa tempestate, nollem. **TRAHIMVR** ꝛ honestum nos trahit ad Pompeium, nec, si quid nobis ob hanc caussam accidere possit acerbius, recusandum. **MASSILIENSIVM factum** ꝛ quod Caesari portas clausurunt. de bello ci. lib. I. **LVCVLENTVM** ꝛ insigne, praeclarum. **IVNCTI** ꝛ quo modo, cum inter Massiliam & Hispaniam intersit magna pars Galliae Narbonensis: malum, Vicini. cum & liber Bessarionis habeat, **VI**. **ODIVM** ꝛ in Caesarem. **SIGNIFICATVM** ꝛ a populo. **ASSVMPIT** ꝛ Caesar. **RVAT** ꝛ in fortunas, uitamq. ciuium. epist. 8. **DESPERARIT**: ꝛ se posse Pompeium uincere. **EFFICIENDVM** ꝛ mihi. **PRIMUM quidque** ꝛ explicemus. fam. epist. I. lib. 12. **INVENTI**, ꝛ Quinto filio. **SUPPEDITABIMVS** ꝛ praecepta ad uirtutem. **PELOPONNESVM ipsam** ꝛ qui difficilem prouinciam ceperunt, eos, ut sustineant quod susceperunt, hortamur his uerbis: Spartam nactus es, hanc orna. quod ij, quibus, ut Sparta nascerentur, contigisset, eniti nehementer deberent, ne tam nobili patria minus digni uiderentur. sed Cicero, qui regendum Quintum filium, susceperat, non contentus, si Spartam diceret, Peloponnesum dixit, ut plus significaret; quoniam pars est Sparta Peloponnesi. Sustinebimus, inquit, quam suscepimus, non Spartam, sed Peloponnesum ipsam. **INDOLES** ꝛ in Quinto, quae spem afferat futurae uirtutis. ἴδος AKIMODON ꝛ quid, si, ἴδος ἀκίμοῦ: ut hoc dicat: mores curari & sanari quamuis corrupti possunt. quod quamquam non est factum, fieri tamen potest: cum mihi persuasum sit, uirtutem disciplina tradi posse.

Cicero S. D. Attico.

II.

**E**PISTOLA tua gratissima fuit meae Tulliae, & mehercule mihi. semper secum aliquid afferunt tuae litterae. scribes igitur: ac, si quid ad spem poteris, ne dimiseris. Tu Antonij leones pertimescas caue. nihil est illo homine incundius. attende ἐπιπρωτοῦ. **EUOCANIT** litteris e municipijs denos: & **IV**. uiri uenerunt ad uillam eius mane. primum dormi ad horam tertiam: deinde, cum esset nunciatum, uenisse Neapolitanos, & Cumanos, (his enim est

Caesar iratus) postredie redire iussit: lauare se uelle, & ἀπὸ κοινοῦ λουεῖσθαι γινεσθαι. hoc heri effecit. hodie autem in Aenariam transire constituit. exsiliibus reditum pollicetur. Sed haec omitamus. de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi litteras. De Tirone gratum. Vestenum diligo. Vestio reddidi. Seruius pridie non. Mai. Minturnis mansisse dicitur, hodie in Literino mansurus apud C. Marcellum. cras igitur nos mature uidebit, mihiq. dabit argumentum ad te epistolae. iam enim



enim non reperio, quid tibi scribam. Illud admiror, quod Antonius ad me ne nuncium quidem, cum praefertim me ualde obseruarit, uidelicet (aut aliquid atrocius de me imperatum est) cor am negare mihi non uult. quod ego nec rogaturus eram, nec, si impetrassem, crediturus. nos tamen aliquid excogitabimus. Tu, quaeso, si quid in Hispanijs, iam enim poterit au-

diri: & omnes ita expectant, ut, si recte fuerit, nihil negotij futurum putent. ego autem nec, retentis his, confectam rem puto; neque, amissis, desperatam. Silium, & Ocellam, & ceteros credo retardatos, te quoque a Curio impediri uideo. etsi, ut opinor, habes Scythas, uiam miseram, maiusq. malum, tam diu timere, quam est illud ipsum, quod timetur.

## EXPLANATIO

**A**D SPREM ? cur bene sperandum sit de rep. ANTONII LEONES ? de leonibus curru iunctis ab Antonio, sunt qui intelligendum putent. ac nos quidem his assentientes aliquandiu idem putauimus: sed postea quam, collatis temporibus, ueritatem historiae tamquam in trutinam coepi pendere, assensum sustinui. iunxit enim certe leones curru Antonius, ut Plutarchus, & Plinius docent, sed, ut ijdem tradunt, postquam in Pharsalicis campis dimicatum est, at uero hanc epistolam nondum confecto Hispaniensi bello scriptam esse, id est multis mensibus ante Pharsalicum proelium, tum ex ipsa, tum ex alijs epistolis supra infraq. scriptis dilucidum est. LEONES igitur explano, quibus Antonius delectaretur: quod animi feritatem indicaret. **INCVNDIVS** ? potius enim mollem, iucundamq. uitam, quam mali quidquam, uidetur cogitare. **ΕΡΩΤΗΤΟΙΣ** ? factum ciue dignum temp. administrante. **ΕΙΡΩΤΗΤΟΙΣ**. **EUOCAVIT** ex municipijs denos: & **Ι V**. uiri uenerunt ? in municipijs decuriones erant senatus, quattuor uiri magistratus, ut Romae consules. quare scriptum olim existimo, x: quod erat, decuriones: sed imperitum librarium fecisse, denos. Quod attinet ad sententiam; absurdum uideretur, uocari decuriones, & quattuoruiros uenire. cur enim decuriones non ipsi potius, quam quattuoruiroi, ueniant? aut cur non simul cum decurionibus quattuoruiroi uocentur? his ego caussis, ut de mendo suspicarer, sum adductus. Et ut dicam, quod sentio: placeret hoc modo: Euocauit ex municipijs decuriones, & quattuoruiros. uenerunt ad uillam eius mane. Quod autem uiri docti mirantur, populi mentionem hic esse praetermissam: ualde mihi contra mirum accidit, eos iudicare, cum senatus, & qui summum gerunt magistratum, euocentur a Caesare, populum simul euocari necesse esse. At in municipijs populus fuit. Quasi uero hoc aliquis in dubium uocat, aut, quod iam uel pueris notum est, lapidum testimonia requirat: non enim sequitur, ut, quia populus est in municipijs, ideo cum decurionibus, & quattuoruirois euocari debeat. satis erat Antonio, cum senatu, & cum ipso senatum regente magistratu agere: de populo, & de minoribus magistratibus, laborandum non fuit, alioqui mirabimur similiter, cur Cicero lib. 13. Fam. cum Q. Hippiam Fregellanis quattuoruirois, & decurionibus commendaret, non addiderit, Et populo. **HORAM tertiam** ? ab exortu solis. semper enim & Nox duodecim erat horarum, & Dies: horae autem nocturnae per hiemem longiores, diurnae breuiores; aestate uero, contra. Atque hanc, quae ad horas pertinet, rationem uniuersam nemo tractauit patre meo peritius. exstat hac de re Commentariolus ab eo conscriptus, ad ueteres de re rustica libros apprime necessarius. **IRATVS** ? quod hi praeter ceteros beneuolentiam in Pompeium ostendissent, uotis olim pro aegrotantis salute factis, epist. ult. lib. 8. Tuscul. 1. & Plutarchus. **EXSVLIBVS** ? lege Pompeia damnatis, epist. 4. **GRATVM** ? quod eum Curio commendaueris, epist. 5. lib. 8. & 16. lib. 9. **VECTENVM diligo** ? quoniam mihi amicum esse scribit, epist. 9. **REDDIDI** ? litteras a te missas. **SERVIVS** ? Sulpicius. **OBSERVARIT** ? antea coluerit. **IMPERATVM** ? eia Caesare. **NEGARE** ? quod ab eo petij, ut liceat mihi exire ex Italia. **EXCOGITABIMVS** ? de occulto discessu, epist. 7. & 10. **OCELLAM**, ? Seruium Ocellam; quem Coelius in quadam epistola bis deprehensum scribit in adulterio. **RETARDATOS** ? impeditos Caesarianis custodijs, ne discedere possint ex Italia. **A CVRTIO** ? opinor, quia debitam Attico pecuniam non solueret. cogitabat autem Atticus in Epirum: ut supra. **SCYTHA** ? uiam unam puto fuisse Graecam dictionem, cuius etiam uestigia in Paulli Magnuli libro uideo notata, **ΕΥΙΤΕΟΝΟΥΝ**. inde eliciet, qui poterit, ueritatem, nos, quasi ulceri desperato, manum ad mouere nolimus. monemus illud unum, ex uetere scriptura quidiuis potius reponi posse, quam quod legitur in libris impressis, *Scythas* **SCYTHA** *δ' υν*. **VITAM miseram, maiusq. malum, tam diu timere, quod timetur, quam est illud ipsum, quod timetur.** ? sic ad Torquatium, epist. 4. lib. 6. Cum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur.

Cicero S. D. Attico

12.

**S**ERVIVS, ut antea scripsi, cum uenisset nonis Maii. post die ad me uenit, ne diutius te teneam, nullius consilij exitum inuenimus, numquam uidi hominem perturbatiorem metu, neque hercule quidquam timebat, quod non esset timendum: illum sibi iratum, hinc non amicum: horribilem utriusque uictoriam, cum propter



propter alterius crudelitatem, alterius audaciam, tum propter utriusque difficultatem pecuniarum, qua frui nusquam, nisi ex prinatorum bonis posset. atque haec ita multum cum lacrimis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. mihi quidem etiam lippitudo haec, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacruma est, sed saepius odiosa est propter vigilias. quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige, & illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est; sed nescio quo modo imbecillior est medicina, quam morbus: haec potius conquire, de Hispaniis, de Massilia: quae quidem satis bella Seruius affert: qui etiam de duabus legionibus

luculentos auctores esse dicebat, haec igitur si habebis & talia: & quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. sed redeo ad Seruium. Distulimus omnino sermone in posterum, sed tardus ad excedendum: multo se in suo lectulo malle, quidquid foret, odiosus scrupulus de filij militia Brundisina. unum illud fortissime asseruerabat, si damnati restituerentur, in exsulum se iturum. nos autem ad haec, & ipsum certo fore, & quae iam fiebant, non esse leuiores: multa colligebamus. uerum ea non animum eius augebant, sed timorem, ut iam celandus magis de nostro consilio, quam ad idem uideretur. quare in hoc non multum est. Nos a te admoniti de Coelio cogitabimus. Vale.

## EXPLANATIO

**S**ERUIVS 3 initium fecimus alterius epistolae. quod ex proxima superiore satis constat. **N**ULLIVS **C**onsilij 3 nihil enim constitui poterat, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. fam. lib. 4. epist. 3. **I**LLVM 3 Pompeium, iratum omnibus, qui remanserant in Italia, Sulpicio magis, qui filium cum Caesare Brundisium miserat. epist. 18. lib. 9. **H**VNC 3 Caesarem Seruio non amicum; quia dixerat in senatu, non placere sibi eum in Hispanias ire contra Pompeij legatos. fam. lib. 4. epist. 1. **A**LTERIVS crudelitatem, 3 Pompeij: de quo sic in epistola ad Marcellum: An tu non uidebas mecum simul, quam illa crudelis futura uictoria? & alibi: **E**TIAM lippitudo 3 quae, cum sit humor a capite fluens, non solet esse sine lacruma. **V**IGILIAS 3 quibus lippitudo curatur. **S**ATIS bella 3 eiusmodi uolumus, non secunda Caesari. **D**E duabus legionibus 3 dici a certis hominibus, alienissimas esse a Caesare. epist. 10. **E**XEUNDVM 3: ex Italia; cum diceret, multo se, &c. **D**E filij 3 de filio Brundisium misso ad affligendum Pompeium, epist. 18. lib. 9. & 3. lib. 10. **A**NIMVM 3 cum ob ea incitari ad discessum deberet. **N**OSTRO consilio 3 discedendi. **A**D idem 3 cohortatione uocandus. **N**ON multum est 3 quod praeciderat, tum dixit, Seruium exspecto, nec ab eo quidquam.

Cicero S. D. Attico. 13.

**S**ERUIVS cum esset apud me, Cephalio cum tuis litteris VI. id. uenit, quae nobis magnam spem attulerunt meliorem rerum de octo cohortibus. etenim haec quoque, quae in his locis sunt, labare dicuntur. Eodem die Funisulanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatus idem illud. ei de suo negotio respondi cumulate, cum omni tua gratia. adhuc non satisfacere debet: debet autem mihi multos nummos, nec habetur locuples. nunc ait se daturum: cui expensum tulerit, morari. tabellarijs, si apud te esset, qua satisfacisses, dares. quantum sit, Eros Philotimi tibi dicet. sed ad maiora redeamus. Quod optas, Coelianum illud maturescit. itaque torqueor, utrum uentum exspectem. uexillo opus est: conuolabunt. Quod suades, ut palam: prorsus assenior. itaque me profecturum puto, tuas tamen interim litteras exspecto. Seruij consilio nihil expeditur. omnes captiones in omni sententia occurrunt. unum C. Marcello cognoui timidiorem; quem consulem fuisse paenitet. ὁ ποδῶν ἀγρευτῆς: quem uiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret;

quo ipse, credo, honestius. Antonius autem VI. id. Capuam profectus est. ad me misit, se pudore deterritum, ad me non uenisse, quod me sibi succensere putaret. ibitur igitur, & ita quidem, ut censes; nisi cuius grauioris personae suscipiendae spes erit ante oblata. sed uix erit tam cito. Alienus autem praetor putabat aliquem, si ego non, ex collegis suis, quibus licet, dummodo aliquis. De sorore laudo. De Quinto puero, datur opera. spero esse meliora. De Quinto fratre, scito eum non mediocriter laborare de usura: sed adhuc nihil a L. Egnatio expressit. Axius de XII. millibus pudens: saepe enim adscripsit, ut Gallio, quantum is uellet, darem. quod si non scripsisset, possem ne aliter? & qui dem saepe sum pollicitus. sed tantum uoluit cito. me uero adiuuarent his in angustijs. sed tu istos. uerum alias. Te a quartana liberatum gaudeo, itemque Piliam. Ego, dum panes, & cetera in nauē parantur, excurro in Pompeianum. Velleuo uelim gratias, quod studiosus. si quemquam nactus fueris, qui perferat; litteras des ante, quam discedimus. Vale.

## EXPLANATIO

**O**CTO cohortibus: 3 quae uidentur defectionem a Caesare cogitare. **E**RA T confirmatus 3 magis affirmabas de octo cohortibus. **E**XPENSVM tulerit 3 ita excusat, debitorē suū sibi non soluere. **C**OELIANVM illud maturescit 3 prope adest, cum Coelium imitaturus sim. **V**T palam 3 discedam, nec differtā, differerebat. n. Cicero, quia uellet occultius discedere. **P**ROFECTVRVM 3 statim. **O**MNES captiones 3 ubi qd deliberratū est, Seruio statim aliquid, atq. adeo multa contra occurrūt. & Captiones, proprie dixit, cū

Hh loqueretur



loqueretur de iurifconsulto, nam, a captionibus cauere, iurifconsultorum est. PAENITET & quia scit in consulatu se iniuriam Caesaris fecisse, ultionem timet. ἀπολλύει ἀρετῆς & abiectum, humilemque animum, propter timorem paenitere summæ dignitatis, qua gloriari etiam deberet. IMPEDIRET & ne discedere possem ex Italia. HONESTIVS & remaneret. SVCCENSERE & quod mihi, petenti ut exire ex Italia liceret, non concessisset. epist. 8. IBITVR & ad Pompeium. ITA quidem, ut censes & palam, ut suades. NISI cuius &c. & nisi spes de pace agendi erit ante oblata: quod uix tam cito esse potest ut ego non ante discefferim. ALIQVEM & personam grauiorem susceperim, ut res componatur. COLLEGIS & praetoribus. QVIVIS licet & de pace agat. DATVR opera: & ut sit, qualem uolamus. ep. 10. DE usura & ut usuram tibi soluat. epist. 9. EGNATIO & debitore suo. PVDBENS: & uide pudorem Axij. tantum abest, ut soluat mihi XII. millia, quae dedi eius filio mutua; ut insuper et petat. miram impudentiam. ep. 9. ADSORIPIT & sic antiqui libri: Scripsit, tñ mallem. GALLIO & aut, filio legeret: aut Gallium Axij filium puta: & quoniam Gallius & Axius diuersae familiae sunt, Axio natum intellige, adoptatum a Gallio, ut esset Gallius Axianus, ut supra Pontius Titinianus, Q. Titinij filius. epist. 6. & 18. lib. 9. POLLICITVS & Gallio pecuniam. TANTVM & quantum pollicitus sum. Me uero & scilicet. cum ironia. ADIVVARENT & qui quam impudentes sint, uides. Sed tu istos & interrupta oratio, figura usitata, uel, Sed dii istos, nam in Bellarionis libro, Seductos, est. STVDIOSVS & est nostri, ep. 9.

## Cicero S. D. Attico. 14.

COMMODYM ad te dederam litteras de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit. cui quidem ego non modo placabilem me praebuissem, sed totum remissem, si uenisset qua mente tu ad me scripseras. erat enim sic in tuis litteris, quas Arpini acceperam: eum uenturum, facturumque, quod ego uellem. ego uolebam autem, uel cupiebam potius, esse eum nobiscum. quod quia plane, cum in Formianum uenisset praeciderat, asperius ad te de eo scribere solebam: at ille perpanca locutus, hanc summam habuit orationis; ut sibi ignoscerem; se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. pauca respondi. magnum accepi dolorem: intellexi fortunam ab eo nostram despectam esse: quid quaeris? fortasse miraberis: in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. uelim, ut tibi amicus sit. hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis. erit enim tam diu. Consilium nostrum spero uacuum periculo fore. nam & dissimulabimus, & ut opinor, acerrime obseruabimus. nauigatio modo sit, qualem opto. cetera, quae quidem consilio prouideri poterunt, cauebuntur. tu, dum adsumus, non modo quae scieris, audieris ue, sed etiam quae futura prouidebis, scribas uelim. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, & si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Sy-

racus profectus est ante diem VIII. Kal. Mai. ut ad me Curio scripsit. utinam, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat. est enim rumor. o, si id fuerit, turpem Catonem. Ego, ut minuerem suspicionem profectiois, aut cogitationis meae, profectus sum in Pompeianum ad IV. id. ut ibi essem, dum, quae ad nauigandum opus essent, pararentur. cum ad uillam uenisset, uentum est ad me: centuriones trium cohortium, quae Pompeius sunt, me uelle postredie, (haec mecum Ninnius noster) uelle eum mihi se, & opidum tradere. at ego tibi postredie a uilla ante lucem, ut me omnino illi ne uiderent. quid enim erat in tribus cohortibus? quid, si plures, quo apparatus? cogitavi eadem illa Coeliana, quae legi epistola tua quam accepi, simul in Cumanum ueni, eodem die. & simul fieri poterat, ut tentaremur. omnem igitur suspicionem sustuli. sed cum redeo, Hortensius uenerat, ad Terentiam salutatum diuernerat, sermone erat usque honorifico erga me. tamen eum, ut puto, uideo: misit enim puerum, se ad me uenire. hoc quidem melius, quam collega noster Antonius: cuius inter lictores lectica uim portatur. Tu, quoniam quartana caeres, & non modo morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te negetum nobis in Graecia sisse; & litterarum aliquid interea.

## EXPLANATIO

PRaeciderat, & hoc supra epist. 4. lib. 8. CONSILIUM nostrum & de discessu. OBSERVABIMVS & ne quis resciscat, aut impedire possit. CVRIO & a Caesare missus, ut Siciliam Pompeianis eriperet. epist. 4. VENTVM est ad me: & uenit ad me Ninnius noster, dixitque, centuriones, &c. POSTREDIE & conuenire. AT ego tibi & ad ornatam, Tibi, dixit; & est familiaris antiquis scriptoribus locutio in re uerba. epist. 7. lib. 8. & 12. lib. 9. & fam. lib. 9. epist. 2. VT tentaremur & ut commentum hoc esset Caesarianorum, centurionibus astute missis ad tentandum animum meum. SVSPICIONEM & quae potuit esse, si centuriones expectassem, & allocutus essem. REDEO & in Cumanum. HORTENSIVS & de quo ep. 18. COLLEGA noster Antonius & qui ad me uenire noluit. collega autem in auguratu. ep. 12. MIMVS Cytheris. epist. 3. EX nouum morbum remouisti, & sic ueteres libri. si cui placet mutatio, legat potius. Et non modo, quam, Et nedum: quod iam ante repositum est ex coniectura, nam, Nedum, semper nega. quod probauimus exemplis in Commentario epist. fam. SISTE & unde Statores, qui homines stant. cogitabat autem Atticus Epirum suam, ut supra.



Cicero S. D. Attico 15.

**P** R. id. Hortensius ad me venit scripta epistola. uellem cetera eius quam in me incredibilem ex-  
*τίμω* qua quidem cogito uti. deinde Serapion cum  
 epistola tua. quam prius quam aperuissem, dixi ei, te  
 ad me de eo scripsisse antea, ut feceras deinde, episto-  
 la lecta, cumulatissime cetera. & hercule hominem  
 proba. nam & doctum, & probum existimo. quin etiam  
 nauis eius me, & ipso conuectore usurum puto. Cre-  
 bro refricat lippitudo, non illa quidem perniciosa, sed  
 tamen quae impedit scripturam meam. *ἰατρικῶς* Valeudi-  
 nem tuam iam confirmatam esse & a uetere morbo, &  
 a nouis tentationibus, gaudeo. Ocellam uellem habe-

remus. uidentur enim esse haec paullo faciliora. nunc  
 quidem aequinoctium nos moratur, quod ualde pertur-  
 batum erat. id s. cras erit. utinam idem maneat Hor-  
 tensius: siquidem adhuc erat. liberalius esse nihil po-  
 test. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te fla-  
 gitij insimularem. negas enim te reperire, qui tibi id  
 in mentem uenerit. ego autem, quia scripseras te pro-  
 ficisci cogitare, (etenim audieram, nemini aliter lice-  
 re) eo te habere censebam, & quia pueris diploma  
 sumpseras. habes causam opinionis meae. & tamen  
 uelem scire, quid cogites, in primisq. si quid etiam  
 nunc noui est. xvii. kal. Ian.

EXPLANATIO

**C** E T E R A eius, & essent, qualis fuit *ἐπιτέμω*. uellem re tantum praestaret, quantum **CUPERE** ui-  
 sus est. *ἐπιτέμω* & uoluntatis declarationem. **U** T I & omnia enim sua officia studiq. detulit:  
 quibus uti cogito. **C** E T E R A & ei sum pollicitus. **H** A B E R E M V S: & ut nobiscum posset discedere.  
 epist. II. quandoquidem ratio exeundi ex Italia paullo facilior uideatur, quam antea putauit. **A** E Q U I -  
 N O C T I V M & quo tempestas non solet esse ad nauigandum idonea. epist. 27. lib. 12. **P** E R T U R B A T V M &  
 Macrobius lib. 1. Sat. Ante aequinoctium, inquit, uernum triste caelum, & nubibus obductum, mare na-  
 uigantibus clausum. De autumnali autem Caesar lib. 4. bel. Gal. Propinqua, inquit, aequinoctii die, in-  
 firmis nauibus hiemis nauigationem subeundam, non existimabat. Inepte nonnulli pro aequinoctio  
 M. Antonium interpretantur, **I** D E M maneat & ne nostrum discessum impediatur, quoniam inferi mar-  
 ris partem curat. epist. 16. **D** I P L O M A T E & cuius mentionem fecerat Cicero in epistola sua, cum dice-  
 ret, se putare Atticum a praefecto urbis sumpsisse diploma, quo ei exire liceret ex Italia. **I** N m e n t e m  
 uenerit. & cum non debeas suspectus esse, ut Pompeianus. **P** R O F I C I S C I & in Graeciam. **L** I C E R E &  
 sine diplomate proficisci. **P** U E R I S & uel seruis, Attici, quos identidem in Epirum mitteret, uel, Puc-  
 ris, Ciceronibus. **C** O G I T E S & de transeundo in Epirum. **E** T I A M nunc & etsi iam discedo, scribe ta-  
 men, si quid noui. xvii. kal. Ian. & hoc aperte mendosum est, cum enim aequinoctij mentionem  
 fecerit; satis constat, siue de uerno, siue de autumnali accipias aequinoctio, (de uerno tamen potius  
 intelligendum) Maio mensi locum esse non posse. Ego puto initium esse sequentis epistolae, & legendū  
 fortasse, xiiii. Kal. quod sine causa repetitum est post uerbum, Peperit. idq. credendū eo magis, quod  
 pleraeque huius libri epistolae adscriptam diem non habent, & est mutatio minima, si v. diuidas in 11.  
 qua ipsa in nota peccatum saepe a librarijs animaduerti.

Cicero S. D. Attico. 16.

**T** V L L I A mea peperit xiv. kal. Ian. puerum  
*ἰατρικῶς* quod *ἰατρικῶς* gaudebam. quod  
 quidem est natum, perimbecillum est. Me mirificae  
 tranquillitates adhuc tenuerunt, atque maiore impe-  
 dimento fuerunt, quam custodiae, quibus asseruor.  
 nam illa Hortensiana omnia fuere infantia, ita fiet ho-  
 mo nequissimus, a Saldio liberto deprauatus est. ita-  
 que posthac non scribam ad te, quid facturum sim, sed  
 quid fecerim. omnes enim *Κορυμνοί* uidentur subau-  
 scultare, quae loquor. Tu tamen, si quid de Hispa-  
 nijs, siue quid aliud, perge, quae so, scribere: nec  
 meas literas expectaris, nisi cum, quo opto, per-  
 uenerimus, aut si quis ex cursu. Sed hoc quoque ti-

mide scribo. ita omnia adhuc tarda, & spissa. ut  
 male posuimus initia, sic cetera sequuntur. furias  
 nunc sequimur: eadem nos fortasse furiae persequen-  
 tur. ex Balbi autem sermone, quem tecum habuit,  
 non probamus de Melita. dubitas igitur, quia nos in  
 hostium numero habeat? scripsi equidem Balbo, te  
 ad me de beneuolentia scripsisse, & de suspitione.  
 de altero egi gratias: de altero ei me purgavi. ec-  
 quem tu hominem infeliciorem? non loquor plura, ne  
 te quoque ex cruciem. ipse conficior, uenisse tempus,  
 cum iam nec fortiter, nec prudenter quidquam face-  
 re possim. Vale.

Hh 2

EXPLA-





E X P L A N A T I O

**T**ENVERVNT } nam ad navigandum non tranquillitate, sed vento opus est. **INFANTIA** } nam, cum  
omnia promississet Hortensius; nihil praestat, more infantium, assernor enim, acertime, ne dis-  
cedam. **HOMO** } cum adhuc sit adolescens, proprie igitur, Infantia. **NOVUM** } ad agnum  
de Corycaeis occulto auscultantibus. **QVO OPTO** } in Graeciam. **HOC quoque** } de discessu meo.  
**TI MIDE** } ne quis Corycaeus subauscultet, ad Caesarianos delaturus. **ITA omnia** } ita nostra  
accidit, ut & tarde, & magna difficultate ex Italia exeamus: initio enim ad Pompeium ire, simulq. cum  
eo proficisci debuimus. ergo ut male posuimus &c. **SI quis ex cursu** } si quis mihi in Graeciam na-  
viganti occurreret, qui in Italiam nauiget. **Ex Balbi autem sermone** } Balbus Attico in sermone, op-  
nor, hoc dixerat, Caesarem offensum, quia Cicero venire in senatum recusasset. **NON probamus**  
abijcimus consilium illud de mansione Meliteni, (epist. 6. & 7.) si quidem, cum Caesarem iam offer-  
derimus, dubitare non debes, quin nos in hostium numero habeat. ego autem Melitam cogitabam,  
ne cum offenderem, cum opidum a bello uacuum delegissem. eamus igitur recta ad Pompeium: quae-  
do non licuit, quod quaerebam, Caesaris offensionem effugere. **BENEVOLENTIA** } ipsius Balbi.  
**SUSPICIONE** } quod suspicaretur me ad Pompeium nauigaturum. **INFELICIOREM** } me.  
**Nec fortiter, nec prudenter** } siue maneo in Italia, siue discedo; cum in mansione sit ignauia, teme-  
ritas in discessu, inclinata Pompei fortuna. **Transijt ad Pompeium** Cicero non ante idus Quinct. ut  
ex epistola ad Terentiam constat.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

Cicero L. D. Attico. 16.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

E X P L A N A T I O







IN EPISTOLARVM  
M. TVLLII. CICERONIS

A D

T. POMPONIVM. ATTICVM

LIBRVM. XI.

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



**A**CCEPI a te signatum libellum, quem Anteros attulerat; ex quo scire nihil potui de nostris domesticis rebus: de quibus acerbissime afflictor, quod, qui eas dispensavit, neque adest istic, neque, ubi terrarum sit, scio. omnem autem spem habeo existimationis, priuatarumq. rerum in tua erga me mihi perspectissima beneuolentia; quam si his temporibus miseris, & extremis praesiteris; haec pericula, quae mihi communia

sunt cum ceteris; fortius feram, idq. ut facias, te obsecro, atque obsecro. ego in Cistophoro in Asia habeo ad HS bis uicies. huius pecuniae permutatione fidem nostram facile reuere. quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere; commoratus essem paulisper, nec domesticas res impeditas reliquissim. ob eamq. causam serius ad te scribo, quod sero intellexi; quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suspicias; ut, si y salui erum, quibuscum sum, una cum ijs possim incolumis esse, salutemq. meam beneuolentiae tuae acceptam referre. Vale.

EXPLANATIO



**A**CCEPI 3. hanc epistolam scripsit, cum, ex Italia profectus, ad Pompeium iam peruenisset. scripsit autem Roma. LIBELLVM 3. libelli neq. complicantur; ut epistolae, neq. scribuntur: siquidem in his inscriptio illa, qua amicis salutem dicimus, omittitur. Ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. Alibi Libellus aliud significat: sed, quoniam haec ex peruulgatis eorum libris, qui dictionum significationes collegerunt, cuius licet petere; quae huius loci non sunt, consulto praetermittam.

**Q**U I eas dispensavit 3. Philotimus libertus: cui rerum suarum curam cum Cicero commisisset: deinde cum id fecisse paenituit; ut etiam paulo post his uerbis significat, Credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere. **EXISTIMATIONIS** 3. ut ijs satisfiat, quibus debeo. nam ob hanc causam de existimatione Ciceronis agebatur. Caesat initio lib. iii. de bello ci. Ad debitorum tuendam existimationem, ditione Ciceronis agebatur. **PERICULA** 3. partim quae iam sunt, ut in bello, partim quae dubio rerum exitu impendent. **CISTOPHORO** 3.